

Rara 4309


Prof. Dr. Arthur Kreuzer

Geschenke

für das Universitätsarchiv

des FHO Gießen

19. Jan. 2018



36.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
**POENA STVPRI,**  
*DIVINA FAVENTE GRATIA*  
EX DECRETO ET AUCTORITATE  
ILLVSTR. ICTORVM ORDINIS,  
IN ALMA LVDOVICIANA  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
HONORIBVS  
ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE OBTINENDIS  
*MAGNIF. ET EXCELL.*  
*ACADEMIAE PROCERVVM*  
EXAMINI  
SVBMITTET  
**IO. CHRISTOPHORVS BALSER,**

AD D.    IVNII M DCC XXXVI.

H. L. Q. C.

---

G I E S S Æ,  
TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

95-

Tag offen

BOENNA STYRI

IN DECRETIS ET VICTORIIS  
ILLUSTRISSIMO Rectorum Ordine

IN AULA IMPERIALI  
PRO  
SUMMIS IN UTROQUE IURE  
HONORABILIBUS

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS  
RITE CONFERENDIS

MAGNAE ET EXCELLEN  
ACADEMIAE PROCEPERUM  
EXAMINI

IO. CHRISTOPH. BALSER  
GIESSEN B. 242  
ND. D. WIM. 2. DEC. 1814

R. A. G.  
TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS, ACAD. TYPOG.

Univ.-Bibl.  
Gießen

( ) ( )

---

## CONSPECTVS DISSERTA- TIONIS.

- |  |  |
|--|--|
| §. 1. De moralitate stupri.                                    | §. 15. Explicatur Iul. Paul. in Coll. LL. Mosaic. & roman. T. 4. n. 2. |
| §. 2. Etymologia atque definitio.                              |  |
| §. 3. De lege Mosaica eiusdemque ratione.                      | §. 16. Tutā Romanorum Venus in ancillis & libertinis.                  |
| §. 4. Scortatio an fuerit in re publica Hebraeorum impunis?    | §. 17. - - - in ingenuis.  |
| §. 5. De concubinis, earumque discriminare a legitimis uxoris. | §. 18. - - - in concubinis.  |
| §. 6. Leges Graecorum de stupro.                               | §. 19. De Legislatione seqq. Imperat.                                  |
| §. 7. Scortatio erat impunis;                                  | §. 20. Quid Constantinus M. innouauerit?                               |
| §. 8. ut & concubinatus.                                       | §. 21. Iustinianicum ius.  |
| §. 9. Ratio coercendi stuprum sub regibus romanorum,           | §. 22. Quid Germanis visum fuerit de stupro?                           |
| §. 10. sub republica libera.                                   | §. 23. De LL. Francorum.   |
| §. 11. An lex Servilia ad stuprum pertinuerit?                 | §. 24. De aeuo Carolingico.  |
| §. 12. Augusti severitas erga stupratores.                     | §. 25. De sequentibus Imperat.   |
| §. 13. - - - erga vitiatas.                                    | §. 26. De stupro in ancillas commissō.                                 |
| §. 14. de potestate patris vitiatæ in stupratorem.             | §. 27. De stupro in virginem illustrem commissō.                       |
|  | §. 28. De odio in meretrices & lupanaria.                              |
|  | §. 29. Sanctio Iuris Canonici.   |
|  | §. 30. De  |

- |   |   |
|---|---|
| §. 30. De confusione delictorum<br>carnis, stupri, fornicationis<br>& concubinatus in iure can. | §. 34. Examen Ord. Pol. de<br>anno 1530. 1548. & 1577.                      |
| §. 31. de vocabulo Fornicationis.   | §. 35. Cur stuprum omissum in<br>Constit. Carolina?                         |
| §. 32. De erroribus ex iure pon-<br>tificio haustis.  | §. 36. 37. Ad qualem iurisdi-<br>ctionis speciem relatum fuerit<br>stuprum? |
| §. 33. De natura poenae stupri<br>hodiernae.  | §. 38. Varias recensentur ordi.<br>ecclesiast.                              |

## Q. D. B. V.

## §. I.

**V**elle Deum, ut genus humanum propagetur; atque perpetuo duret, non facultas tantum hominibus insita generandi subolem, mutua sexuum in se invicem propensio, acresque stimuli iisdem inditi loquuntur, sed ipsa etiam Summi Numinis benedictio & iussus, *Crescite & Multiplicamini*, confirmat. Qua vero ratione ista sit exercenda facultas? disquiritur. Id expeditum est, hominem, si quacunque re, certe ratione differre a brutis, quae quidem agunt secundum appetitum sensitivum; qui ubi secundum naturam fertur, dicitur instinctus naturalis, v. *Bulfinch. Dilucid. de Deo, anima hum. & mundo. S. 3. C. 4. c. 292.* ceterum non cognito actionis fine. Quo tamen modo non agit homo, utpote ratione praeditus, qua moderari appetitum sensitivum, eundemque ad sanam rationem exigere debet. At, quid haec dicitur, fluctuant Doctores; vid.

Tho.

*Thomasius Iurisprud. diuin. L. 3. c. 2. §. 3. Treuer ad Pufend  
de offic. H. & Ciu. L. 2. c. 2. §. 1. vt difficillima de matrimonio  
doctrina pronuncianda sit. Si dicendum, quod res, est;  
quemlibet omnes suas actiones eo dirigere debere, ne turbent  
pacem externam, siue, quod idem est, ne socialitati aduer-  
sentur, apud omnes in confesso est. Quod vt fiat in actio-  
nibus ad procreationem pertinentibus; tenendum est, Deum  
homini, cum facultate generandi sui simile, concessisse  
simul instinctum ac propensionem erga sexum sequiorem.  
Neque id aliam ob causam, quam vt mortales excitaret  
ad propugnendam prolem, vid. *Hedinger. Sicilim. ad Grot. L.  
2. c. 5. §. 2.*; ne deficiat genus humanum; quod contingere  
potuisset, cum ob multas easque grauissimas molestias prae-  
ceptum de multiplicando neglexissent, eadem ponderantes,  
quae Baptista Mantuanus cecinit *eclog. 4.* citatus ab *Hedinger.  
Schediasm. de Iure circa oppignor. ciuit. corol. 9.**

*Femineum seruile genus, crudele, superbum,*

*Lege, modo, ratione caret, confinia recti*

*Negligit, extremis gaudet, facit omnia voto*

*Praecipiti, vel lenta iacet, vel concita currit*

*Femina, semper hyems atque intructabile frigus.*

Vnde tuto colligere licet, essentiam status coniugalis con-  
sistere in procreanda subole & extinguenda libidine. Quae  
duo tamen commode separari nequeunt, propterea quod  
Deus his qualitatibus hominem creauit, vt alterum alteri  
subordinatum esse videatur. Equidem addunt mutuuum ad-  
iutorium alii; sed id ad omnes pertinet societates; vid.  
*Kemmerich. Access. ad Instit. L. 1. §. 3. T. 10. §. 6.* Neque ve-  
ro sufficit, vt proles tantum progignatur, sed insuper re-

quiritur, ut ea rite educetur, efformeturque membrum societati idoneum, quod vel in ipsa propagationis idea latet. Ea enim non est intentio Creatoris, ut tantum procreetur suboles ac extinguatur libido; quandoquidem proles absque educatione subsistere non potest; cur autem matri relinquatur id onus? ratio non adparet. Is profecto pacem turbat externam, qui partum in lucem editum fato relinquit, expectaturus, num fortuito adolescat, ac rationem excolat. Miserrimus namque ac infelicissimus humani generis status necessario sequitur, quando nulla educationis habebitur ratio, nec partus ad mores saniores componetur. Quibus consequens est, rationem praecipere, ut societatem ad propagandum genus humanum ineant mortales, conf. *Sträuch. de Iur. natural. & civil. convenientia d. 15. 17. exstat in opusc. iuridicis editis P. 4. diff. 3.* Dices: ut suboles educetur, non requiri necessario, ut perpetua sit ista societas, sed tantum ad id duret tempus, usque dum sibi prospicere possit ipse partus? Neque id convenit societati; praeterquam enim, quod perpetuum praeualeat diuturno, ut loquitur *Gundling. Iurisprud. Nat. c. 26. §. 12.*; apparet, coniugium amore contrahi, & amicitiae eximiae exemplum esse, quam absque graui causa rumpere iniustum est. Et ne eandem ad tempus ineant paciscentes, ratio vetat, & externae pacis conseruatio exigit: vid. *Gundling. alleg. loc. Thummig. Institut. Philos. Wolff. §. 296. add. Pufendorff. de Iure Nat. & Gent. L. 6. c. 1. §. 20.* Putat quidem *Dn. Treuer. ad Pufendorff. L. 2. c. 2. §. 16.* cum pactum ad tempus iniri possit, & tota matrimonii natura in pacto de propagatione consistat, ita & ad tempus durare posse, istam societatem: sed propagatio  
ponit

ponit educationem, & pacta quidem ad tempus iniri possunt, quae pertinent ad paciscentium solummodo utilitatem; ea autem, quae totius societatis salutem contingunt, ut pactum de progignenda subole in paciscentium arbitrio non sunt posita, sed secundum intentionem Creatoris ad salutem generis humani ineunda. Certe ex tali permutatio-  
ne & incerta venere maxima generis humani miseria futura est; quoniam ea necessario oritur, quando societatum simplicium & compositarum finis cum annexis subruitur: vid. *Gundling. all. l. c. 2. §. 23.* Quemadmodum vero ius necessarium praecipit, ut rite honesteque propagetur suboles, ac, ne brutescat, bene educetur; ita quoque maxime interest civitatis, ne stupri scortationisque nimia sit licentia, saluti civitatis contraria. Enimuero constat, familias potiores esse civitatis partes; vid. *Aristoteles Pol. 3. conf. Hertius Pol. P. 2. S. 2. §. 8.*; sine quibus eandem esse non posse recte docet *Bodinus de Republ. L. 1. c. 2.* Neque enim movet exemplum Pontificatus Romani, a *Bechmanno Medit. Polit. c. 2. §. 6.* allegatum, sine matrimonio durantis. Tolle enim hoc & ipsa caelibum Respublica facile concidet. vid. *Gundling. Iurispr. Nat. c. 35. D. 5.* Familiae si negligantur atque corruant, nulla educandorum atque instituendorum liberorum erit cura. Id quod fieri necesse est, quando extra statum illum conjugalem proles progignitur. Qua scilicet ratione nunquam exstruetur familia, quae matrimonio nitatur. Qua sublata, quae liberorum erit educatio? homo autem, cui pessima obtigit educatio, magis assimilatur bruto, quam homini; v. *Hertius Pol. P. 2. S. 1. §. 6.* Quorum tamen multitudine refertur civitas, cui illa non salutem, tranquillitatem,

tem, felicitatem procurabit, sed omnium malorum causa  
 extitura, eandemque subuersura tandem erit. Quamobrem  
 vere *Horatius L. 3. Carm. Od. 6. cecinit. v. 7. seqq.*

*Faecunda culpa, saecula, nuptias*

*Primum inquinauere, & genus & domos.*

*Hoc fonte derivata clades*

*In patriam populamque fluxit.*

Malum huic non abfimile est meretricibus nimis indulgere, eumque in finem lupanaria publice constituere, quibus quasi venalia prostant scorta. Vt enim stupri licentia multitudinem male moratorum hominum plerumque gignit; ita contra nimia scortationis impunitas efficit, vt numerus ciuium deficiat. Neque enim magis amat mulier plerumque matrimonium quam maritum, secus ac mulieres Teutones apud Tacitum, quibus frui ea ratione illi possunt absque coniugii oneribus, satiarique parabili venere, quam commendat *Horatius Lib. 1. Serm. Satyra 2. v. 119.*

*Non ego: namque parabilem amo venerem, facilemque.*

Vnde fit, vt matrimonii neglectus hoc modo ciuium defectum pariat. Exemplum praebet Roma, Augusti tempore, qui, vt ciues societatem coniugalem rite inirent, quorum defectum generauerat ista parabilis venus, praemia proponere cogebatur in *L. Papia Poppaea*. Ne dicam, quod multi adolescentes hac scortationis licentia tam graviter abutantur, vt tandem matrimonio minus idonei fiant, vnde civitati damnum. Quare, cum ista incerta venus & vitiosa libido non saluti tantum generis humani adversa sit, sed etiam, nisi legibus sit circumscripta, in perniciem rei publicae cedat; in omnibus fere civitatibus moratoribus modum generi

veneri praescriptum esse reperimus; & interdum poenam statutam eis, qui extra ordinem genus propagant; tametsi in diuersis rebus publicis diuersa fuerit coërcendi ratio, mox gravior, mox leuior; praesertim cum nihil sit furore amoris vehementius; quem retinere, philosophiae est perfectae, secundum effatum sacratissimi Imperatoris Iustiniani *Nov. 74. C. 4. pr.* vt proinde imbecillitati humanae aliquid dandum esse censuerint LLatores, quam penitus tollere impossibile est; cum vitia, donec homines, erunt.

## §. II.

Quos coërcendi modos, praesertim stupri, exponere cum animum induxi; necesse erit prius ejus notionem ac differentiam, qua ab aliis eiusdem generis criminibus distat, explicare, quam ad poenam ipsam tractandam perveniam. *Stuprum* veteribus significasse quamlibet turpitudinem, probat *Naeuius: Perire malunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos populares.* In *Nelei carmine: Foede stupreque castigor quotidie.* Apud *Festum* voc. *stuprum*, ὄσος Graecis vsitata vox, licet quamcunque corruptionem denotet, maxime tamen pertinet ad significandum concubitum cum soluta; v. *Papinian. L. 6. §. 1. π. ad L. Iul. de adult.* Postea istud vocabulum a Latinis translatum est ad delicta carnis, adeo vt & adulterium sub illo comprehensum fuerit, quod probavit *Otto vit. Papinian. c. 5. §. 4.* Tandem vero adhibitum fuit, ad describendam peculiarem criminis speciem, quod proprie vocatur *stuprum*: vid. *Papinian. all. l.* Id vero est concubitus illicitus, cum virgine vel vidua, alias honeste viventibus. Cum virgo vel vidua dicitur, excluditur adulterium. Vita alias honesta remouet scortationem; quod tamen

non prohibet, quo minus in *L. Iul. de adulteris* promiscue & indifferenter sumatur stuprum & adulterium; vid. *all. l. 6. L. 101. de V. S.*, de quo infra pluribus. Vti igitur stuprum differt ab adulterio; ita etiam a scortatione, qua insignitur concubitus cum meretrice, vel alias vulgari femina, e. g. ancilla; v. infra. Addendum est, dupliciter diuidi *stuprum*, nempe in *voluntarium*, vbi vtriusque adest voluntas, & in *violentum*, quod cum vi in renitentem committitur; de priori hac dissertatio acturus sum; posterius, quippe ad *L. Iul. de vi publica* pertinens, suo loco relicturus.

## §. III.

Rempubicam Ebraeorum primo contueri liceat, in qua Lex Mosaica iubet, vt, qui pellexerit virginem, eamque stupret, dotet sibi in vxorem, vid. *Exod. c. 22. v. 16. 17.* modo pater puellae in nuptias consentiat, vid. *Hottinger. Ius Ebraeor. p. 67.* Consensus enim facit matrimonium. Qui, quanquam non verbis, tamen facto declaratus est; vid. *Seldenus de Iur. Nat. & Gent. secundum disciplinam Ebraeorum L. 5. c. 4.* Quare consequens erat, vt matrimonium, re ipsa initum, rite & secundum mores consuetos stuprator celebraret. Caue igitur credas, dotationem fuisse poenam. Mos enim erat, cum apud plerosque populos orientales, tum maxime Ebraeos, vt viri feminas sibi quasi emerent. Id patet exemplo Sichemi, Dinam depereuntis, cuius pater magnam pro illa dotem offert, *Genes. 34. v. 12.* Cleric. ad b. l. Iacob, eum nummos non haberet, ministeria per septem annos, antequam Rahele potiretur, exhibere cogebatur, quod late probauit *Nicol. Hieronym. Gundling, de emt. vxor. c. 1. §. 3.* Vnde apparet, cur legibus Mosaicis constitutum fuerit, vt dotet?

dotet? vxor enim legitima dote erat acquirenda, atque emenda, quae emtio venditio traditione virginis & dotis solutione perficiebatur moribus Ebraeorum; conf. *Ill. Boehmer. ad Coruin. Instit. Iur. Canon. L. 4. tit. 18. §. 2. l. (f)*. Congium enim & dotatio, quae erat nummus emtionis, separari nequibant. Ex qua pariter elicienda est ratio, cur optio relinquatur patri virginis, numne magis eligat nuptias, sub quibus continebatur dos, an solum pretium siue dotem? Praeterquam enim, quod consensus patris in nuptiis liberorum necessarius erat, intrabat ipse in locum venditoris, quo pertinent verba vxorum Iacobi; inquit enim, *Vendidit nos, Genes. c. 31. v. 14. Gundling. all. loc.*; qui suum in filiam ius cedebat viro, quod praeter voluntatem suam ei eripere nefas erat. Neque id iniuriam vocare poterat stuprator, quod, cum nuptias sperneret pater, pretium tamen soluere tenebatur; lucrum enim patri, quod ex venditione filiae poterat sperare, nisi penitus ereptum, valde tamen erat imminutum: pretium namq; virginis vitatae magis exiguum est, quam integrae. Istud pretium fuisse quinquaginta siclorum apparet ex *Deut. 22. v. 29.*; vid. *Clericus ad Deut. 22. v. 16.* Duplicem adhuc additam fuisse poenam, affirmant Rabbinii. Altera nomine *pudoris*, quam ignominiam dixere, efferebant: cuius aestimatio fiebat respiciendo ad tenuitatem stuprantis & vitatae; Altera, nomine *corporis vitati*, macula illis dicitur, soluenda erat, quae secundum rationes eorum, qui ancillas foro emturi pretium ob ereptam antea virginitatem minuebant, aestimabatur; vid. *Misnah tit. Cethuboth*; conf. *Seldenus in vxor. Ebr. L. 1. c. 16.* Quod si vnquam hae obtinuerunt, posteriorem aetatem introduxisse necesse est; cum leges Mosaicae taceant.

§. IV.

## §. IV.

Vt vero scortatio inter turpissima merito referatur, honestatique maxime repugnet: tamen cum non omnia delicta poena semper sunt coercenda, conf. *Gundling. P. 10. Observ. 3. D. 23.* & in Republica Iudaica fuit impunis, nec ganeonibus, nec meretricibus vlla statuta poena reperitur. Enimvero antequam leges Mosaicae latae erant, Iudas cum Thamara, tanquam meretrice, rem habens, sibi haud illicitam censuisse scortationem inde certum est, quod hoedum mercedis loco promissum, quasi pro causa maxime licita, mittit non clam, sed aperte, dum quaerit missus ex his, qui in agris erant, vbi sit meretrix, quae ad viam federit. Quare vero tam atroci supplicio dignam Iudas iudicauerit Thamaram? alia erat ratio. Nam cum morte duorum filiorum ei collocatorum Iudae exosa esset, licet immerito, auide arripuisse videtur occasionem perdendae honeste Thamarae; propterea quod tertio suo filio, nomine Selah, iam desponsata habebatur ex lege leviratus; vid. *Pierr. Jurieu Histoire Critiq. des dogmes & Cult. de l'eglif. c. 20.* & *Clericus ad Genes. 38. v. 8. & 24.* atque adeo forte adultera reputabatur. Quanquam autem meretricibus nulla fuerit poena inflicta, quantum quidem ex legibus Mosais constat; infamiam tamen illas mansisse probabile est: *Clericus ad Deut. c. 22. v. 21.*

## §. V.

Neque concubinatus fuit Ebraeis solum impunis, sed etiam permissa consuetudo & maxime vsitata. Abrahamo Hagara & Ketura fuere concubinae; *Genes. 25. v. 1. 6.* Bilha & Zilpha Iacobi *c. 35.* Saul, Dauid, Salomon habuere pellices; & posterior quidem trecentas. *1. Reg. c. 11.* Gilead accepit Iephten

Iephten filium ex concubina. *Iud. II. v. 7.* conf. *Grot. ad Iud. c. 8. v. 31.* *Seldenus de Iur. Nat. & Gent. secund. discipl. Ebraeorum. L. 5. c. 7.* & *Clericus ad Genes. 22. v. 24.* Nec vnquam hoc matrimonii genus legibus vetitum est: Id tantum quaeritur, quale intercesserit discrimen inter iustam & legitimam vxorem & concubinam? *Clericus ab. loc.* differentiam ponit in dignitate: quod haecenus verum est. Abrahamum nunquam Hagaram equiparasse Sarae, dubio caret; eiecit enim *illam*, hac volente, ex aedibus. Haereditatem tamen paternam aequis portionibus cum natis ex vxoribus legitimis adiiisse concubinarum liberos, probat exemplum Iacobi, cuius liberi tam legitimarum, quam pellicum, aequali iure ad successionem admissi fuere; vid. *Clericus ad Genes. 21. v. 10.* Vnde & Iephtes de erepta sibi a fratribus haereditate queritur, *Iud. II. v. 7.* ibique *Grotius. Seldenus autem de succ. in bon. defunct. c. 3. ex Misnah, tit. Iabimoth c. 11.* obseruat, liberos concubinarum a paterna haereditate exclusos fuisse; & *Grotius ad Genes. 25. v. 1.* dona tantum accepisse putat: sed, vt haec posterioris aevi sint, certe antiquis temporibus omnia non obtinuisse recte censet *Clericus ad all. l.*, cum pellicum filii paris fuerint iuris, nisi pater noluerit. Genuina vero ac propria concubinarum & vxorum iustarum ea fuisse videtur differentia; nimirum moribus Ebraeorum filiae vendebantur a patre, & a procis soluto emtionis pretio, id est, dote acquirebantur, qui non facile tulerit, filiam dignitate viro futuro parem, in concubinatum accipi, nec in matrimonium legitimum. Ideo plerumque ancillae humilioresque feminae assumebantur; *Grot. ad Iud. 8. v. 31.*, quae vt ritu emtionis acquirerentur, necesse non erat, cum in po-

testate viri saepius existebant; quod si ita non esset, erant vilioris tamen conditionis, quae tanti non erant, ut adhibita sollemni emtione illa vsitata coniungerentur. Quamobrem eam fuisse demum concubinam apparet, quae haud praeunte illa pretii, i. e. dotis solutione, patri facienda, in conjugium accipitur, omissis sollemnibus nuptias praeuentibus; atque hac ratione sibi Abrahamus sociavit Hagaram: *Genes. 16.* Iacobus Rahelem & Leam seruitiis XIV. annorum acquirebat, Bilha autem tanti non habebatur: *Gen. 30. v. 3.* Vnde & patet, cur Chamor Chiuacus ad sollemnem illam emptionem Dinae se offerat; *Gen. 34. v. 12.*, ne scilicet concubina esse videatur.

## §. VI.

Ad Ebraeorum instituta accedunt fere Graecorum mores. Eruebant enim hi quoque vxores suas. Quod *ἑδνω*, de cuius originatione vid. *Gundling. de emt. vxor. c. 1. §. 5.*, quorum Homerus passim meminit, confirmant; quaeque sunt illud quasi pretium virginis; vid. *Gundling. all. loc.*, quod patri soluitur; conf. *Euerb. Feithius Antiq. Homer. L. 2. c. 11.* Vnde & *ἀντὶς ἑδνωσάμενο δούλαρα* apud *Homer. Odyss. β. i. c. tradebat virginem, dotem recipiendo*: neque profecto Solon prohibuisset, ne venalia essent matrimonia, ut refert *Plutarchus in Eius vita*; nisi, ut viri sibi emerent vxores, vsus tulisset. Caue tamen credas, dotes illas plane sustulisse illum. Luxuriam enim dotium coërcuit tantum, venditionesque & emtiones ad modum forte ceterarum rerum institutas prohibuit; ut late probat *Gundling all. loc.* At, tametsi concederem, sollemnem illam postea desuisse emtione; negari tamen nequit, illud moris mansisse, ut proci donis quibusdam sibi concii-

conciliarent vxores, quae vocabant *Περγάμιαι*; ac reliquiae fuisse videntur illius pretii emtionalis, quod *ἔδνον* vocabant, quod quidem mihi satis est. Vnde statim ratio apparet, cur & Athenis ille, qui dulce commiserat furtum, viginti drachmas patri puellae dare cogebatur dotis loco: ut refert *Plutarchus vit. Solon.* cuius adiunctum cum erant nuptiae, & stupratam ducere oportebat, ut patet ex *Plaut. Aulular. Act. 4. Scen. 10. n. 60. Terent. Andr. Act. 4. Scen. 5.* *Iam insurrari audio, Civem Atticam esse hanc. C. Hem. D. Coactus legibus eam uxorem ducet; nisi pater dissentiat.* Neesse tamen erat, ut stuprata sit civis Attica. Quo pertinent illa *Demea* apud *Terentium in Adelph. Act. 4. Sc. 7. O stulte, tu de Psaltria me somnias agere. Hoc peccatum in virginem est civem,* conf. *Sam. Petit. ad LL. Attic. p. 446.* neque pretium intercesserit, quod ex *Sofstratae* verbis apud *Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 2.* colligitur: *Postremo, quando ego conscia mi sum a me culpam hanc procul abesse, nec pretium, neque rem ullam intercessisse.* Praeterea quoque id patriae potestati relictum erat, ut, quando ita ira abreptus erat, filiam eam, in qua moechum deprehendit, vendere potuerit; quod alias illicitum erat; *Plutarch. all. loc.*

## §. VII.

Neque tamen omnis erat vetita Venus apud Graecos. Licite enim illi scortatione litabant, nec metuendum erat, ut ad societatem ineundam raperentur amatores; modo parcerent feminis honestis, maxime civibus, ut ex *Plauto* passim apparet. Quem in finem obvias in venerem meretrices esse voluit *Solon*, ut ab adulteriis cohiberet juventutem; vid. *Plutarch. in vit. eius, conf. Musenius Philosoph. de luxu Graecorum*

rum. c. 12. Lex erat Athenis: Ne quis pro Moecho prehensor in meretrice, quae vel lupanari, vel publice prostat: quae publice prostant, etiam servorum iniuriae obnoxiae sunt. Lysias in Theomnestum Orat. I. Demosthenes in Neaeram quo pertinet illud Terentii Eunuch. Act. 4. Scen. 5. Quis homo pro moeCHO unquam vidit in domo meretricia deprehendi quenquam? erant plerumque peregrinae aut servae, quibus haut erat ius connubii conf. Sam. Petit. ad LL. Attic. 474. ac quae vitam profitebantur meretriciam floridas vestes sumere iubebantur v. all. auct. p. 476. Graecis vero maximis in deliciis fuisse illam lasciviam, vel solum famosum illud scortum Lais comprobatur, quo & philosophi ipsi se capi passi sunt. Notum est illud Demosthenis. Tanti poenitere non emo: A. Gellii Noct. Att. L. 1. c. 8. Iso- cratem rhetorem meretricis consuetudinem habuisse affirmat Lysias in Epistol. & si credendum est Hermippo, nec ipse Aristoteles ab hac labe fuit immunis. Qua negotiatione maximas sibi interdum comparavere opes, ut, si verum refert Callistratus de meretricibus, Phryne Thespiensis meretrix pollicita fuerit, Thebas se condituram, modo inscriberent Thebani: Ἀλέξανδρος μὲν κατέκαψεν, ἀνέστη δὲ Φρύνη, ἡ ἑλαίρα, i. e. Alexander quidem evertit, instauravit vero Phryne meretrix: de meretriciae istius vitae licentia conf. Meursus Miscell. Lacon. L. 2. c. 3. L. 3. c. 2. add. Bayle Dict. Hist. & Crit. sous art. Lais & Lycurgue.

## §. VIII.

Vt vero cum meretricibus rem habere haecenus impune fuit Graecis; nisi feminas civis tangerent; ita nec poenis coerceretur concubinatus, παλλακίαι. Qualis παλλακίαι erat Briseis Achilli, quam eversa Troia ceperat, Homer. Iliad. 9.

15. vid. Bayle *all. loc. sous art. Briséis*; quamque ipse vocat quidem ἄλοχον, verum vt non sit, μήτη ἀλοχος legitime desponsata vxor; vid. *Theod. Marcilius ad LL. XII. Tab. cap. 20.* Quod & ipse confirmat Demosthenes in Neaeram. Id tamen discriminis obseruandum est, non potuisse in concubinato esse ciuem feminam, sed humilioris conditionis, seruas, plerumque bello captas, aut pretio coëmtas, vid. *Euerb. Feith Antiqq. Homeric. L. 2. c. 17*; vt & peregrinas, quae dote haud emebantur, sed ἀπροιχοι erant; vid. *Gundling. all. l. §. 8.* Ex his nati vocabantur Νόθοι; vt probat *H. Grotius de Iure Belli & Pacis L. 2. c. 5. §. 15.* Νόθος υἱός, ὁ μὴ ἐκ νομίμου γυναικὸς γενηθείς, ἀλλ' ἐκ πηλλαικίδος; *Homer. Iliad. β*; qui paterna haereditate exclusi, ex ea mille tantum drachmas accipiebant. Harpocraton: Νοθεία, τὰ τοῖς νόθοις ἐκ τῶν πατρῶων διδόμενα ἔτι καλεῖται. ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν, *Notheia, ea quae nothis ex patriis bonis dantur, ita solent appellari. Erant vero ad mille drachmas*; conf. *Meurs. Them. Attic. L. 2. c. 12.* Concubina erga esse non poterat ciuis, vtpote cui erat ius concubii,

## §. IX.

Tametsi vero & Romanis iste fuit mos, quo maritus & vxor se invicem coëmebant & ritu emtionis, a sponso sponsaque faciendae acquirebantur virgines; vid. *Servius ad Virgil. Georg. L. 1. Gundling. de Emt. vxor. c. 1. §. 13. seqq. Heineccius Synt. Antiqq. L. 2. tit. 8.* Neque tamen constat, vnquam Romanis ius fuisse, vt vitiatam ducat & dotet vir. Quandoquidem apud Romanos non vir vxori, sed viro vxor dotem afferbat; quare & Tacitus morem Germanorum, tanquam a iure Romano diversum, notat. Ista vero emtio ab vtroque faci-

C

cienda

cienda nil, nisi speciem prae se ferebat, nec dotem conficiebat; fieri itaque non poterat, ut feminam corruptam dotare teneretur stuprator. At haec cum dotis solutio fere erat matrimonii consequens, ut vidimus praec:; neque ad id etiam ineundum cum corrupta adstrictus erat. Certe dotatione & matrimonio satisfaciendum fuisse virgini haud liquet; alia itaque stupri cohibendi ratio Romanis placuit. Nulla quidem Regum temporibus eius poena constituta fuisse videtur, qua afficeret corruptores Respublica. *Suetonius enim in Tiberio c. 35. refert. Matronas prostratae pudicitiae, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui MORE MAIORVM de communi sententia coërcerent, auctor fuit.* conf. *Briffon. ad L. Iul. de Adult. Leg. 2.* Cum enim primis Reipublicae temporibus sartam tectamque plerumque seruarent puellae pudicitiam, ac emicarent sine crimine mores, nudaque simplicitas, purpureusque pudor; parentes pudicitiae custodes tantum esse voluit Romulus; quippe qui optime castitati adfuescere, frenumque impudicitiae imponere possent. Quare & maritum, conuocatis vxoris cognatis, iudicem adulterae constituit; vid. *Dionys. Halicarn. L. 2. p. 95.* conf. *Briffon. all. l.* Maximo enim opprobrio familiam afficit impudica filia; quod ut auertatur, parentum interest; quorum demum iudicio relicta fuit castigatio liberorum non solum, sed & ius vendendi & occidendi; vid. *L. 11. π. de liber. & posthum. Halicarn. L. 2. c. 27. 28. Pandulph. Pratei. ad LL. Romuli L. 17. Briffon. all. l.* Ut quasi magistratus domestici liberorum delicta coërcerent; ob naturalem erga liberos amorem non inflicturni immodicam poenam; vid. *Valerius Maxim. L. 5. c. 8. Seneca controuers. L. 2. controuersia 3. Quamobrem*

vt adultera marito, sic filia patri punienda relinquebatur; conf. *Otto ad Instit. §. 4. de publ. iud. n. 1.* illum vero in liberorum delicta animaduertisse, vt magistratum, exemplis probauit *Petr. Faber semestr. L. 2. c. 5. p. 65.* ita poenae causa relegarunt liberos.

## §. X.

Sed quemadmodum a Regibus nulla stupri statuta fuit poena, ob sanctissimos mores, quos rigida patrum potestas conseruabat, qui crudelius interdum puniuerunt filiarum lasciuiam; ita & sub libera Republica eadem reprimendae libidinis ratio fuisse videtur. Etenim cum regifugio causam praebuerit Tarquinii libidinosa voluptas, qua excitatus Lucretiae pudicitiam violauerat; eo seueriori disciplina animaduertisse patres in liberos, stupro pollutos, credendum est. Quam sancte enim matronae coluerint pudicitiam istis temporibus, apparet ex *Linio L. 10. c. 22.* Neque adeo necesse esse rati sunt, vt quid cauerent de stupro *LL XII, Tabb.*, sed potius spectare officium parentum, attendere ad pudicitiam filiarum. Atque diligentissimi profecto fuere patres in conseruanda liberorum pudicitia. *Valerius Maximus L. 6. c. 1. §. 4.* refert, Publium Maenium in libertum, quia eum filiae suae osculum dedisse cognouerat, animaduertisse, uoluisseque, vt non solum uirginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferret filia. Cum itaque Quirites accerrimi pudicitiae seruandae custodes exstiterent; mirum esse non debet, quando perditae durissimos saepe vindices egere; interdum ad mortem usque, vt *P. Attil. Philiscus*, qui filiam, quod stupro se contaminauerat, trucidauit; vid. *Valerius Maxim. all. 1. Tacitus L. 13. Annal. c. 34. & Liuius L. 39. c. 18.* Ceterum uerosimile est, admodum

rara fuisse supra, quandoquidem ea coercendo rigida patris potestas sat valida erat; conf. *Hoffmann. ad L. Iul. de Adult. c. 1. §. 11.*, ut eo minus opus fuerit poenam lege minari. Singulare interim erat, quod virgines vestales stupro pollutae intra urbem in campo scelerato vivae defoderentur: ut testatur *Dionysius Hallicarn. L. 2. 3. Plutarch. in Numma.* Quemadmodum Oppiam Minutiam, Oppimiamque, Vestales vivas sub terram ad portam Collinam scelerato campo defossas, narrat *Linus L. 2. & 8.* de quo supplicii genere vid. *Plutarch. all. loc. Servius ad Virgilii Aeneid. L. 11. n. 14. Barn. Briffon. ad L. Iul. de adult. Leg. 2.* At vero refert *Linus L. 10.*, matronas stupri damnatas pecunia multatas esse; ita *Q. Fabius Gurges*, Consulis filius, aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit: quem locum ita exponit *Lipsius*: more inter veteres recepto, ut inquit *Tacitus Annal. 2 c. 85.*, qui venalem habebant pudicitiam, apud Aediles licentiam stupri profiteri necesse erat; quando igitur id omiserat femina, Aedilium erat, illam deferre ad populum multaue vel exilio coercere; vid. *Heinecc. Antiq. L. 4. Tit. 18. §. 53.* Vnde apparet, id non fuisse poenam stupri, sed *Q. Fabium* illas feminas ad populum detulisse ideo, quod turpitudinem antea non professae erant.

## §. XI.

Haecenus tantus habebatur honor pudicitiae, tantaque severitate filias a libidine revocarant parentes, ut disciplina illa austerior nullam videretur requirere legem, qua stuprum coerceretur. Postquam vero ad illa civilium bellorum turbarumque tempora, Mariana, Cinnana, Syllanaque, quae omnium pene scelerum, flagitiorumque licentiam dedere, per-

-uentum

uentum est; missa fuit pudicitia, ac magis rusticitatis argumentum, quam honestatis esse coepit. Quare cum adeo in libidinem omnes fere ruerent; senatus censuit, vt simulacrum veneris verticordiae consecraretur, quae virginum & mulierum mentes a libidine ad pudicitiam verteret *Plinius Histor. Nat. L. 7. c. 35.* Quo pertinent illa *Ovidii 4. Fastor.*

*Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:*

*Cumaeam, Veteres, consulistis anum.*

*Templa iubet veneri fieri: quibus ordine factis,*

*Inde venus verso nomina corda tenet.*

In tanta autem morum perversitate, quae tam longo temporis intervallo duravit, nullam latam fuisse legem, quae Veneri verticordiae opem ferret, dubium esse videtur *Cl. Hoffmanno all. loc. §. 21.* Existimat nimirum ille, verosimile omnino non esse, a tempore Romuli vsque ad Imperatorem Augustum ullam non prodixisse sanctionem, quae licentiam stuprorum atque adulteriorum cohibuerit. Vnde Legem Serviliam a P. Servilio Vatia rogatam Sulla Dictatore A. V. C. DCLXXII. stupris atque adulteriis oppositam fuisse probare conatur e *Valerio Maxim. L. 8. c. 1. n. 8.* sed vide sis *Adrian. Turneb. L. 1. c. 3.* Tametsi vero lubentissime concedatur, ad pudicitiam pertinuisse; certo tamen definire non non audet, quid ea lege cautum sancitumque sit in tanta eius obscuritate; vid. *all. l. §. 22.* Id certius affirmari posse videtur, tantam non habuisse vim, vt maculosum edomaret nefas, quod tandem aggressus est Augustus illa celeberrima lege Iulia de adulteriis

## §. XII.

Quum enim Romam luxu diffluentem, & ad omnem stuprorum adulteriorumque licentiam proiectam cerneret Augustus; legem iste tulit de adulteriis; vid. *Sueton. in vita eius c. 34.* qua effecit, ut lex de maritandis ordinibus, quam impediēbat illa omnis fere impudicitiae impunitas, cum Quirites obicerent saepissime, dum eos ad matrimonium invitaret:

*Dic mihi: quis potuit lectum servare pudicum?*

vid. *Propertius L. 2. Eleg. 24. v. 111.* promoueretur, & matrimonii obfirmaretur sanctitas. Historiam huius legis dedit doctiss. *Hoffmann. ad h. l. c. 2.* Ad rem ipsam propero. Imperator Iustinianus §. 4. *Instit. de publ. iudic. sed eadem* inquit, *lege Iulia etiam stupri flagitium punitur, quum quis sine vi, vel virginem vel viduam honeste viventem stuprauerit. Poenam autem eadem lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiae bonorum; si humiles, corporis coercitionem cum relegatione.* Prius de personarum differentia, quae poenarum discrimen parit, *L. 9. §. 11. π. de poen.* agendum erit; neque enim, qui eadem delicta committunt, illico eadem afficiuntur poena, sed personae conditio spectanda est; v. *L. 38. §. 9. d. t.* quam poenam ipsam considerem. Inprimis tenendum est, in quibusdam legibus triplicem esse personarum differentiam, ut in *L. Cornelia de sicariis, L. 3. §. 5. π. ad L. Cornel. de sicar.* quae distinguit inter altiores, honestiores, humiliores; vid. *Noodt. L. 1. Obs. c. 1.* In aliis autem placere duplicem, qualis observatur in *L. Iul. de adult.* neque discrimen intercedit inter honestiores & altiores; sed vno loco hi habentur. Equidem honestas hic significat dignitatem, vid. *Noodt ad π. de Concubin.* non morum integritatem, quod ulterius probat

probat *Marcianus L. 1. §. f. π. ad. L. Cornel. de sicar. Sed & in eum*, inquit, qui uxorem deprehensam in adulterio occidit, *Diuus Pius* leuiorem poenam irrogandam esse scripsit, & **HVMILIORE LOCO** positum, in exilium dari iussit: **IN ALIQVA DIGNITATE POSITVM**, ad tempus relegari. Ex qua oppositione elucet, humilitatem non denotare vile, abiectum, dedecorum vitae genus; sed humilem esse, qui nulla dignitate splendeat, vlla tamen vitae macula haud notatus. Vnde colligi facile potest, ad humiliores referendos esse plebeios, ceteroque nulla dignitate vestitos. Ita enim equiparat humilioribus liberos plebeios *Callistratus L. 28. §. 11. π. de poenis*. Honestiores autem sunt, qui in honore sunt constituti, & dignitate aliqua fulgent, vt *Decuriones* (qui & curiae suae senatores dicuntur *L. 33. C. de decur.*) vt clare *Modestinus L. 16. π. ad L. Corn. de Sicar.* affirmat; qui vero in triplici illa *L. Cornel.* differentia loco honestiore positi dicuntur a *Marciano L. 3. §. 5. ff. eod. tit.* honestiores vocat *Iul. Paul. L. 5. tit. 23. §. 1.* Id non omittendum est, quod in *d. L. 16.* legendum sit cum *Noodtio L. 1. obs. c. 1.* pro in honore aliquo, *alto*, vt cum triplici illo discrimine, a *Marciano in all. l. 3.* relato, conueniat. Qui amplius ad summum gradum accedunt, & in *L. Cornel. de Sicar.* *Altiores* vocantur, poenam honestioribus in *L. Iul. de adult* statutam sustinent; propterea quod lex duplicem tantum constituit differentiam. Quamobrem a vero longe aberrant, qui humiliores vocari eos tantum sibi persuadent, qui in *L. 24. pr. π. ad L. Iul. de adult.* recenseantur, & honestum hic significare honestam existimationem; humile vero turpem; vt cum *Hotmano* sentit *Vinnius ad Instit. de publ. iud. §. 4. fin.* Praeterquam enim, quod  
humilitas

humilitas non denotet abiectum vitae genus, ut hac Spho exposui; certum est, h. l. citatos lenones, artem ludicram facientes, in scenam prodeuntes, iudicio publico damnatos infames fuisse; vid. *L. 1. pr. π. de his, qui not. infam. L. 4. §. 2. cod. L. 43. §. 7. π. de R. N. L. 7. §. 2. π. de publ. iudicio*; conf. *Heinecc. π. de his, qui not. infam.* Qui, cum plerumque ex vulgi faece vilisque conditionis sunt & infames; mariti odio relictī ideo fuerunt, quod id hominis tantum committere facinus auderet; ut & libertus, qui perquam ingrati animi notam incurrit, quod honorem familiae debitum laedit. Ut taceam de seruo, quem e numero humiliorum eiicit *Macer. L. 10. pr. π. de poen.*, ac tantum ad eorundem exemplum puniri dicit. Poena itaque eorum, qui honestiore loco positi dicuntur, publicatio erat dimidiae partis honorum; quemadmodum & adulteris eadem pars auferitur. Humiliores autem, cum corporis coercitione, relegantur. Corporis coercitionem fuisse fustibus caedere indicat *Vlpianus L. 6. §. f. & l. 7. de poenis*; quod ad liberos pertinet; *L. ult. π. de Iniur. L. 28. §. 2. de poen.*; ad cuius exemplum flagellis caeduntur serui, quae poena seruilis est; vid. *L. 6. π. de Accus. & inscr. L. 10. de poenis.* Fustigatio consistebat in modica castigatione, sic *Callistrato* vocatur fustium admonitio, *L. 7. de poenis*, qua multo atrocior erat flagellatio, seruilis poena; *L. 10. §. 12. ff. de in ius voc.* unde verbera seruilia, in *L. 12. π. de jur. fisc.*; conf. *Dionysius Gothofred. ad h. l. & ad L. 6. §. f. & L. 7. de poenis.* Corporis coercitionem sequebatur relegatio, qua salua civitate in insulam aliquam, aliumve locum, vel ad tempus, vel in perpetuum mittebantur; *L. 7. §. 2. 3. π. de interd.*; perpetuam tamen

men non semper fuisse ostendit *Cl. Hoffmann. ad L. Iul. c. 4. §. 8.* & confirmare videtur *Vlpianus L. 7. §. 4. w. de interd. Quo differt a deportatione, quae & bona, & testamenti factionem adimit; all. L. 7. §. 3. & ciuitatem vid. Heinecc. w. de interd. & relig. Isidorus, inquit, Origg. L. 5. c. 27. Diuiditur autem exilium in relegatis & deportatis. Relegatus est, quem bona sua sequuntur; Deportatus, quem non sequuntur; add. Schulting. ad Cai. Inst. L. 1. T. 6. §. 1. n. 8. Vnde Ouidius Trist. L. 2. & L. 5. 2.*

*Nec vitam, nec opes, ius nec mihi ciuis ademit,*

*Nil nisi me patriis iussit abesse focis.*

*Ipse RELEGATI non EXVLIS utitur in me*

*Nomine.*

§. XIII.

Hanc poenam sustinuisse masculos, dubio caret. Qua vero ratione feminas, quibus haud inuitis erepta est virginitas, puniuerit *L. Iulia*, non omnino constat; *vid. Laud. Hoffmann. ad L. Iul. c. 4. §. 11*, qui existimat, Augustum muliebrium quoque delictorū discrimen obseruasse & aliam, quam in adulteras, statuisse in virgines & viduas flagitiosas poenam. Ceterum adulterae poenam non inflictam fuisse virgini vel viduae iste opinatur. *Conf. Kressius vero spec. Iur. Ciu. L. 6. T. 20. §. 3.* eandem cum stupratoribus poenam stupratas sustinuisse affirmat. Neque vero credo, *Iulium Paul. Recept. sent. L. 2. T. 26. §. 13.* definire eandem his verbis: *Qui voluntate sua stuprum flagitiumue impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum mulctatur, nec testamentum ei ex maiore parte facere licet.* Etenim ad delicta *Legis Scatiniae* pertinere res ipsa docet; *vid. Io. Fried. Christ Histor. Leg. Scat. §. 18 seqq.* Id

D

certum

certum est, impune haut tulisse feminas crimen, sed stupri reas factas fuisse, eiusdemque damnatas indicat *Vlpian. L. 29. § 1. 6. π. ad L. Iul. de adult. Iul. Paul. recept. sentent. L. 2. T. 26. §. 15.* Quare existimo, sub poena adulterarum contineri & stupri. Neque mouet, quod earum poena vniuersa innuptis infligi haut potuerit; Quemadmodum enim in *L. 12. §. 4. π. de Accus. & Inscr.* Ictus dicit, omnibus legibus seruos fieri reos, excepta lege Iulia de vi privata; quia ea lege damnati, partis tertiae bonorum publicatione puniuntur, quae poena in seruum non cadit; ideo impune non peccat, sed durior ei poena imminet; conf. *Petr. Faber Semestr. L. 2. c. 5. p. 58.* Ita idem dicendum esse coniiicio in hac L. Iulia, vbi quidem dotis dimidiae partis amissio locum inuenire non potest; reliqua tamen poena commode infligitur; nimirum relegatio & tertiae partis bonorum publicatio. Vniuersa adulterarum poena est apud *Iul. Paul. l. c. L. 2. T. 26. §. 14. Adulterii conuictas mulieres dimidia parte dotis & tertia parte bonorum, ac relegatione in insulam placuit coërceri.* Nemo obmoueat, adulterii tantum hic mentionem fieri; nam in *L. Iul. de adult.* stuprum & adulterium promiscue sumi respondet *Papinian. L. 6. §. 1 π. ad π. L. Iul. & amplius* *§phis seqq. probabo. Mulieris autem appellatione virgo viripotens continetur, inquit Vlpian. L. 13. de V. S.* Itaque verba legis non obstant: neque magis res est inimica. Verum enim vero *Vlpianus coniecturam confirmat; ex L. 29. §. 1. π. ad L. Iuliam de adult.* colligitur, non omnia legis Iuliae capita ad stuprum referri posse; ait *lex, inquit Ictus, adulterii damnatam si quis duxerit uxorem, ea lege teneri; an & ad stuprum referatur, videamus; quod magis est.* Quae quidem quaestio

non

non omnes poenas in *L. Iul.* statutas ad stuprum extendi & applicari potuisse docet; quin potius a quibusdam poenae partibus immunes fuisse stupri reas, inde colligitur. Vnde mirum esse non debet, quando vniuersa a Paulo recitata poena in innupta locum habere nequit, sed ea tantum, quae in virginem vel viduam cadere potest: qualem dedisse feminas, confirmare videtur *Papinianus L. 38. §. 1. 2. π.* ad *L. Iul. de adult.* Stuprum in sororis filiam si committatur, quaerit ICTUS, an ADULTERII POENA sufficiat mari, considerandum est: ratio dubitandi, quod duplex admissum est, stuprum & incestus; respondet cum distinctione, si errore commissum, sat erit poenae; non vero si contumacia iuris & contumelia sanguinis concurrant; hoc casu & mulier incesti poenam luet, quando est iuris gentium; excusabitur autem, si sola iuris ciuilibus obseruatio interuenerit, scilicet a poena incesti, quae erat deportatio, vid. *L. 5. de quaest. poenam autem stupri sustinebit, quam ICTUS vocat adulterii;* quod amplius docet *Iul. Paul. Recept. Sent. L. 2. T. 26. §. 15. incesti poenam, quae in insulam deportatio est, mulieri placuit remitti, haec tamen, quatenus lege Iulia de adulteriis non apprehenditur, i.e. poenam quidem incestus non sustinebit. recte tamen adulterii;* conf. *Schulting. ad h. l.* Interea, si cui mirum videatur, quod vitiatas maiori affecerint poena Romani, quam stupratores; ille attendat, maiorem semper requiri castitatem a feminis, quam a viris, atque hinc quoque grauiori odio persecutos esse romanos impudicitiam feminarum, quam masculorum, quod exemplis probauit *Gundling. diff. An maior castitas a feminis, quam a viris requir.* & *Gundling. P. 10. Obs. 2. §. 21.* Praeterea stupri damnata v-

xor impune duci non poterat; vid. *all. L. 29. §. 1.*, quod respondet Ulpianus, modo affirmandi ICris familiari, quod magis est: vid. *L. 17. §. 3. L. 25. §. 4. L. 42. π. ad L. Iul. de adult. L. 135. de V. S.* Certe, i. e. alioquin, ut in *L. 38. §. 9. π. ad L. Iul. de adult.*, si ob aliam causam ea lege sit condemnata, e. gr. si domum suam stupri causa praebuerit, vid. *L. all. 29. §. 6.* impune vxor ducetur: haec enim quasi adultera tantum punitur, vid. *L. 8. 10. §. 1. π. ad L. Iul. de adult.* Porro cum stuprum crimen erat publicum ac publico iudicio vindicabatur, *L. 1. π. de publ. iudic.*, consequens erat, ut eius criminis damnatae infamia notentur. In testibus vero dignitas, fides, mores, grauitas examinanda est, *L. 2. π. de testib.*; inde stupri damnata ad testimonium inhabilis erat; *L. 20. §. 6. π. Qui testam. fac. L. 18. 14. L. 20. π. de testib.*

## §. XIV.

Tametsi itaque publicis etiam poenis coercuit adulterium ac stuprum Augustus; patri tamen potestas relicta fuit, ut non filiam solum vi patriae potestatis, sed & insuper ipsi datum erat, ut stupratorem in filia domi suae deprehensum impune possit occidere; vid. *L. 20. 23. π. ad L. Iul. de adult.* Requiritur, ut domi suae occidat; v. *L. 23. §. 2. π. ad L. Iul. de adult.* Iniuria enim augetur ex domo, cui filia reuerentiam debet, nec ab adultero violari fas est. *Iul. Paul. recept. sent. L. 2. T. 26. §. 1. ibique Schulting.* Equidem in filiam iam patrem ius vitae & necis exercuisse, dubium non est; v. *Heinecc. Synt. Antiq. L. 1. T. 9. §. 5.* neque enim demum Lege Iulia facultatem occidendi datam fuisse, exempla suppliciorum liberis inflictorum docent; v. *Laud. Heinecc. all. l. conf.*

conf. *illustr. van Bynckershoeck de iure occidendi liber. c. 3.* At id permittit Augustus, ut pater licite quidem stupratorem in *ἑγγυ* deprehensum trucidaret, modo aequali ira aduersus utrumque sumpta, prope vno ictu cum filia eundem interimat; v. *all. L. 23. §. 4.* Ut adeo filia magis in conditione, quam dispositione esse videatur, sicuti loquitur *Pithoeus in not. ad Coll. LL. Mos. & Rom. T. 4. §. 8.* Quodsi pater filiae parceret, perditio tantum adultero, Legis Corneliae de Sicar. reus fiebat, & tanquam homicida plectebatur. *L. 23. π. ad L. Iul. de adult.* Verum tamen ne quis putet, in nupta deprehensum occidere tantummodo potuisse patrem, non aures in vidua virgineque; ut *Perez. ad C. de adult. & Stupr. Papinian. L. 6. §. 1. π. ad L. Iul. de adult.* docet, legem Iuliam stuprum & adulterium promiscue & *καταχρηστικῶς*, i. e. abusue appellare, & *Modestinus L. 101. pr. de V. 5.* dicit Legem uti his verbis indifferenter, ut & ipsi latinitatis Auctores; vid *Plautus Amphitr. Act. 1. Scen. 2. n. 25. de Alcumena nupta.* Et ne in suspitione ponatur stupri; add. *Act. 3. Scen. 2. Curtius L. 4. C. 10. §. 31.* Et Icti saepe adulterium pro stupro dixere: ita *Marcianus L. 7. pr. π. ad L. I. de adult.* & *Vlpianus in L. 13. §. 6. eodem locutus de adulterio vxoris, antequam nuberet; add. L. 27. 22. C. eod. qua Imperatores Dioclet. & Maximin. rescribunt, in ea, quae meretricio more vivit, & stupro cognita est, adulterii i. e. stupri crimen cessare. Iul. Paulus in Collat. LL. Mosaic. & Rom. T. 4. n. 2. clarius: In vidua autem filia, qui adulterum deprehensum occiderit, & in continenti filiam, licito iure hoc factum Marcellus scribit L. 31. Digest. conf. Schulting. ad h. l.* Vnde liquet, patrem impune occidisse stupratorem deprehensum; non

attento, vtrum nupta, an innupta fuerit filia, cum patri fas fuerit filiam, quam in potestate habebat, cum adultero interficere. *L. 20. §. ad L. Iul. de adult.*, plerumque autem magis innupta est in patria potestate, quam nupta, quae interdum ea exit.

## §. XV.

Equidem *Cuiacius. L. 6. obs. c. 14. emendaturus L. 22. §. 1. π. ad L. Iul. de adult.* ac pro *accusationem* substituturus *occisionem*, cum animadverteret aduersum esse, quod scribit *Marcellus L. 31 Digest §. praeced.* allegatus, mauult legi *illito iure* quasi in vidua filia eandem non habuerit pater potestatem, ac in virgine; praesertim cum particula *autem* diuersum ius a priori exigere videatur. Quodsi vero perpendatur, ius occidendi vnice ex patria potestate pendere; v. *L. 20. 23. §. 1. π. ad L. Iul. de adult.* quae nullo modo nisi emancipatione immutatur, ratio non adparet, cur idem ius non exercere possit in viduam ac in virginem. Et quamuis hic non polluat lectus genialis, nec marito inferatur iniuria: neque tamen magis pater vindex est lecti genialis, & iniuriarum mariti, quam suarum & castitatis morum, pudicitiaeque in filia custos. Augustus permisit, vt adulterum domi suae deprehensum impune occideret pater, non filiam, in quam ius vitae & necis iam ex lege Romuli exercebat; quod autem Lege Iulia illi ademtum non fuit. Nec *vocula* *autem* tanti est, vt emendationem suadere possit: praeterquam enim, quod *vocula* *autem* aduersando non semper inferuiat, ita forte etiam pro *autem* legi possit *item*; vt idem obseruauit *Illustr. van Bynckershoek Obs. L. 1. c. 11. in L. 17. π. de usufruct.*; yltterius probauit *Noodt. Probab. L. 3. C. 5. particula*

tricula autem ICTOS vsos fuisse pro igitur, vt *Papinian. L. 10. §. de diuers. temporal. praescript. & Marcian. L. 65. §. 4. de legat. 3.*  
 Quamobrem, cum nulla sit causa, cur patri potestas occi-  
 dendi stupratorem in vidua filia deprehensum denegetur;  
 retinendam potius esse lectionem, quam eandem mutare,  
 dubium non est. Quod attinet ad *L. 22. §. 1. §. ad L. I. de*  
*adult.*, qua *Cuiacius all. l. vice accusationis* ponit occisionem;  
 videretur forte vocabulum *accusationis* subsistere haut posse;  
 praesertim cum ipse *Papinianus libr. singulari de adulteriis* scri-  
 bat: *Quaerebatur, an pater emancipatam filiam iure patris accu-*  
*sare possit? Respondit, occidendi quidem facultatem lex tribuit,*  
*eam filiam, quam habet in potestate, aut eo auctore in manum*  
*conuenit: sed accusare iure patris ne quidem emancipatam filiam*  
*pater prohibetur; vid. Auct. Collat. LL. Mosaic. & Roman. Tit.*  
*4. §. 7.* Quodsi igitur emancipatam iure praecipuo pater  
 accusare potest: cur non viduam? Et qui occidendi ius ha-  
 bet, & iure patris accusare potest, inquit *Macer. L. 24. §.*  
*3. §. ad L. Iul. At vero Papinian. d. L. 22. §. 1.* aliter sentit,  
 neque in accusatione viduae filiae patrem ius praecipuum  
 habere dicit. Verum enimvero nec opus esse videtur emen-  
 datione in *all. L. 22.*, cum in occisione patris ius non pos-  
 sit dici praecipuum; hoc enim ponit aliquid minus, quod  
 non adest; sed pater vnus est, qui viduam possit occidere:  
 In accusatione vero datur ius praecipuum, & proprie vo-  
 catur praerogatiua accusandi ius praecipuum; v. *D. Hoffmann*  
*ad L. Iul. de adult. c. 6.*, quod consistit in eo, quod pater &  
 maritus intra 60. dies soli sint, qui accusare possint; vid. *L.*  
*11. §. 5. L. 14. §. 2.*, postea alii admittantur. Quare ita  
 animum induco, in *d. L. 22.* *Papinianum* comparisonem  
 inter

inter patrem naturalem & adoptivum instituisse, quam conjecturam confirmare videtur *L. 20. eod.*, quae est eiusdem Papiniani, atque ex eodem libro, neque aliud dicere, quam quod naturalis haud praeponatur adoptivo patri in accusando. Praeterea autem Ictos in exponenda lege Iulia in diuersas abiisse sententias, ex *L. 24. §. f. ꝯ. ad L. Iul. de adult.* apparet.

## §. XVI.

Tametsi vero Quirites impudicitiae acerrimi extitere vindices, crimenque stupri sat grauibus cohibuerunt poenis; id tamen non prohibuit, quo minus tuta quaedam Venus, concessaque furta licite exerceri potuerint in Republica Romanorum; ita senex apud *Terentium Adelp. Act. 1. Scen. 2. non est flagitium, crede mihi, adolescentulum scortari.* Quod ut maxime ad intelligendos eorum mores, legesque de his criminibus latas explicandas facit: ita necesse est, ut disquiratur, in quas feminas debacchari licuerit, ut a poena fuerint immunes. Ac primo in ancillis non committi stuprum, & impune, quod ad poenam pertinet, easdem vitiare licuisse affirmat *Papinian. L. 6. pr. ꝯ. ad L. Iul. de adult. Paul. L. 2. sent. T. 26. Ancillarum sane stuprum, nisi deteriores fiant, aut per eas ad dominam adfectet, citra noxam habetur.* vid. *Horat. L. 1. Serm. Satyr. 2.* Equidem ea erat seruorum seruorumque conditio, ut rebus aequipararent Romani, neque dignas censebant ancillas, quarum pudicitiam legibus custodirent, iuris connubii expertium. conf. *Gundlingiana P. 10. c. 2.* sed potius relinquendum esse domino, utrum damnus vel iniuriam vellet persequi, nec ne? quare legis Aquiliae actio & iniuriarum competeat ei, ut & de seruo corrupto, v. *all. L. 6. L. 2.*

§. 5. π. de priu. delict. conf. Hoffman. ad L. Iul. de adult. c. 4 §. 3. Al-  
 terum feminarum genus, quarum amor non erat interdi-  
 ctum, Libertinae conditionis est. Quemadmodum enim ad  
 iustas legitimasque nuptias id maxime requirebant Quirites,  
 ut uterque habeat ius connubii, vnde inter seruum & in-  
 genuam, inter ciuem & peregrinam iniustae erant nuptiae,  
 vid. Heinecc. Element. iur. ciuil. ad Instit. §. 150., vel potius non  
 erant nuptiae, arg. L. 42. §. 1. π. de Ritu nuptiarum: ita,  
 quando ciuis eam duxerat, cui non erat ius connubii, non  
 erat legitimum matrimonium, nec dos, nec liberi, sed spu-  
 rii censebantur, nec in patria erant potestate; §. 12 Inst.  
 de nuptiis. Vnde sequi existimo, cum istis haut potuisse exi-  
 stere iustas nuptias, earumque pudicitiam legibus parum esse  
 custoditam; sed impune furta in iis exercita fuisse. Quare  
 licet Libertinae ciues manumissione effectae; vid. Heinecc.  
 Antiqq. L. 1. T. 5. §. 10. etiam ius connubii acceperint,  
 id quidem ad nuptias inter Libertinum & Libertinam perti-  
 nuit, ut iustae essent inter hos nuptiae, non contubernium,  
 in quo viuebant serui cum ancillis: ingenuis tamen cum Li-  
 bertinis non intercedebat ius connubii, quod vel solo exem-  
 plo Hispalae Fecenniae patet, cui istud Scto datum fu-  
 isse Linius refert 38. 6. conf. Ezech. Spanheim Orb. Rom.  
 2. 24. p. 262. Heinecc. Antiq. Append. §. 33. Quibus igitur tem-  
 poribus ciuibus ingenuis connubium cum his non erat le-  
 gitimum, nec stuprum in illis committebatur. Ideo mere-  
 tricula apud Plautum in Cistellaria Act. 1. Sc. 1.

Quia nos LIBERTINAE sumus, & ego, & tua mater ambae  
 MERETRICES fuimus.

E

Postea.

Posteaquam vero lege Papia poppaea datum fuerat, ut ingenui libertinas ducerent uxores; *L. 23. π. de ritu nupt. L. 15. C. de Nuptiis*; ob maiorem libertinarum, quam ingenuarum copiam; *Dio Cass. Histor. L. IV. p. 608. vid. Heinecc. Antiq. append. §. 36.* in his quoque stuprum vindicabatur, nec amplius in Libertina conditione tuta merx. Unde Libertina in alterius concubinato esse nequit, nisi matronae honorem amittere, ac pro ea, quae corpore quaestum facit, haberi velit; *L. 4. §. 1. π. de rit. nupt. L. 3. π. de Concub. Patroni tamen concubina esse potest, ut retineat matris familias honorem, L. 1. pr. de Concubin. L. 41. §. 1. π. de rit. nupt.* Introducta demum LL. Aelia Sentia & Iunia Norbana, triplici illa libertorum differentia, de qua *Vlpian. Fragm. Tit. 1. §. 5. seq. Caius Instit. L. 1. Tit. 1. §. 1. seq.* illae tantum matrimonio legitimo iungi poterant ingenuis, quae erant primae classis, i. e. ciues Romanae, sollempni modo manumissae. Secundae Classis Libertae, cum nec ciues erant, non habebant ius connubii; multo minus dedititiarum classis in censum venit; conf. *Heinecc. Antiq. L. 1. T. 5. §. 14. 15.* In quibus nullum committi poterat stuprum, neque vindicari. Quo referendum est, nisi fallor, illud *Horatii L. 1. Serm. Sat. 2.*

*Tutior at quanto merx est in classe secunda,*

*Libertinarum dico, Sallustius in quas*

*Non minus insanit, quam qui moechatur.*

Equidem existimat *Doct. Hoffmannus ad L. ad Iul. de adult. c. 4. §. 4.* de omnibus in vniuersum libertinis accipiendum esse hunc locum; praesertim cum ante latas leges Iulias conscriptam iam esse hanc Satyram putet; neque enim credere fas esse, Horatium, qui ab Augusto edomitum maculosum

sum nefas tantopere praedicauerat, ita acerbam Satyram scripsisse de moechorum Romae frequentia. Sed haec tanti non sunt, quo minus credam, post enatam demum illam Libertinorum differentiam Flaccum hanc Satyram scripsisse. Quae enim est secunda classis Libertinarum, quando tempus anteuertis? Nec magis ad frequentiam moechorum, quam eorundem insaniam, quod non didicerint illud *medium tenere beati*, eius sermo directus est. Certe & ipse *Horatius* alio loco de se gloriatur, *ead. Satyr. v. 119.*

- - *Namque parabilem amo venerem*

Et hic ostendit, si quis veneri operam dare vellet, melius esse, Venerem tutam, concessaque furta, quae Lex Iulia non punit, exercere, quam matronas sectari, earumque pudicitiam, quam sartam tectamque esse voluerit Augustus, attentare.

§. XVII.

Neque in ingenuis stuprum vindicabatur, nimirum quae matronalem habitum & dignitatem, stuprum apud Aediles professae, exuerant. Moribus enim Romanis impune fuit, corpore quaestum facere, *conf. August. Leyseri Diss. de poena stupri arbitr. iudic. relinq. §. 16. 17.* dummodo eiusmodi mulieres nominā apud Aediles profiterentur; horum enim curae etiam fornices, popinas, aliasque veneris palaestras demandatas fuisse ostendit *Lipsius Excurs. ad Tacit. IV. 85. p. 1175.*, quas ideo loca aedilem metuentia vocat *Seneca de vita beat. c. 7.* Cui turpitudinis professioni satis inesse poenae arbitrabantur Romani. De *Vistilia Tacitus Ann. II. 85. Vistilia praetoria familia genita licentiam stupri apud Aediles vulgauerat, MORE INTER VETERES RECEPTO; qui*

satis poenarum aduersus impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Qua professione neglecta, feminas ad populum deferebant Aediles, multaue vel exilio coercerant; Exempla sunt apud *Liuium* L. 10. & 25. Duplex erat scortorum genus; aliud deuium, de quo *Horatius* L. 2. Od. II. *Quis deuium scortum eliciet domo, ibique Acron.*, quod erant meretrices proprie dictae, ad quos non omnibus aditus patebat, sed honestiores erant, minusque vulgares. Contra vero *Bustuariae*, moecha e dictae, vulgaria & diobolaria scortilla, erratica, inter busta atque monumenta, paene in propatulo prostantia, de quibus *Martialis* L. 1. *Epigr.* 35.

*Abcondunt spurcas haec monumenta lupas.*

conf. *Adrian. Turneb. Aduers.* L. 13. C. 19. *Ioseph. Laurentius de adulter. & meretric.* c. 2. Vocabantur & prostibula; eodem modo *Nonius Marcellus* ait: meretrix honestioris loci est; nam meretrices a merendo dictae sunt, quod copiam sui tantummodo noctu facerent. Prostibula, quod ante stabulum stent, quaestus diurni nocturnique causa; *Plaut. in Cistellar.*

*Intro ad bonam meretricem, astat ea in via sola*

*Prostibula sane est.*

vocabantur & meretrices diobolares; vid. *Plaut. Poenul. Act. I. Scen. 2. Casina in Prologo, ibique Taubmann.* Prius mutabant nomina, quam quaestum turpem profiterentur; *Plautus Poenul. Act. 5. Scen. 3. v. 19.*

*Cum huc aduenisti hodie in ipso tempore,*

*Namque hodie earum MUTARENTVR NOMINA,*

*Facerentque indignum genere quaestum corpore.*

conf: ad h. l. *Taubmann.* Ac ut nomen mutatum erat, sic & vestimenta: *Tertullian. de cultu mulier. c. 12.* Honestae ma-

tronae

tronae vittatae & stollatae erant, vnde *Ouid, de arte amand. L. 1. pr.*

*Este procul VITTAE tennes, insigne pudoris*

*Quaeque tegis medios INSTITA longa pedes.*

conf. *Turneb. Aduers. L. 29. c. 31.* Ornamentum meretricum erat toga. *Martial. Epigr. 2. 39.*

*Coccina famosae donas, & ianthina moschae*

*Vis dare, quae meruit, munera? mitte togam.*

add. *Horat. L. 1. Serm. Satyr. 2.* A Lenonibus cellula assignabatur meretrici cum titulo, eiusdemque pretium determinabatur. *Seneca L. 1. Controu. 2. Deducta es in lupanar, accepisti LOCVM, PRETIVM constitutum est, TITVLVS inscriptus est.* Quare si cuiquam nox iam promissa erat, foribus inscribatur: *Occupata est. Plaut. Aſinar. in foribus scribat, OCCVPATAM esse.* Eiusmodi certe lupanaria in honestorum etiam praedius fuisse affirmat *Vlpian. L. 27. §. 1. π. de haereditat. petit.* Quid? quod ne repeti quidem poterat ob hanc causam datum; propterea quod solius tantum dantis turpitudine versetur, nec turpiter accipiat, cum sit meretrix; licet turpiter fecerit, quod sit meretrix; vid. *L. 4. §. 3. π. de condict. ob turp. caus.* Tametsi infamis habebatur femina quaestuararia; vid. *L. p. π. de his, qui not. inf. L. 43. §. 4. π. de R. N.* Masculi autem, qui cum meretricibus rem habuerunt, infamia non afficiebantur, sed vt rescripsere *Impp. Dioclet. & Maxim. L. 25. C. ad L. Iul. de adult. grauata potius erit eorum opinio, quam infamia afflicta.* Feminis quaestuariis accensetur, quae in taberna cauponia vel alibi pudori suo non parcat, *L. 43. pr. π. de rit. nupt.*, sed vicem prostitutae sustinet, vid. *all. L. §. 1.* Atque cum iudicio publico damnatae

tae vxores duci non poterant; nec in his stuprum committentur, *L. 43. §. 10. all. t.*, quod tamen non procedit in calumniae vel praeuaricationis damnata, cum publico iudicio damnata esse non videatur; *d. L. §. 11.*, licet eandem, quam accusato intendebat, poenam sustinere debeat. At eo gliscente malo, ut & illustres feminae, clarissimaque familia prognatae quaestum illum profiterentur; Scto cauit Tiberius, *ne quaestum corpore faceret, cuius pater aut maritus eques romanus fuisset.* Neque tamen sequentibus sub Imperatoribus punitae meretrices inueniuntur, licet id existimet Cuiacius in *not. ad Paul. Sent. L. 3. T. 4. §. 6.* vbi mulieri, quae luxuriose viuit, bonis interdicitur; sed ea mulier non est meretrix, profuse potius viuens, quae nec modum nec finem impensis adhibet; *conf. ad h. l. Schulting.* Ea enim consuetudo tantas egerat radices, ut & Imperatores Christiani eam tollere haud potuerint, quod ostendit *L. 29. C. ad L. Iul. de adult. lege demum vlt. C. de spectacul. lupanaria sublata esse videntur, & postremum a Iustiniano Nou. 14.*

## §. XVIII.

Sicuti vero in orbe romano fuere mulieres, in quibus vaga libido exerceri potuit; ita & iis, qui magis alieni ab illa incerta venere, expositae fuerunt feminae, quas loco vxorum sibi sociarent. Antiquos eas *pellices* appellasse, posteriores *concupinas* siue amicas, cui vxor non esset, pellices autem, cui vxor esset, docet *Vlpianus L. 144. de V. S.* Concupina autem siue amica erat femina vilioris conditionis, absque ritu nuptiarum sibi iuncta; quae dotem non offert. *vid. Gundling. P. 10. Obs. 1. §. 11. conf. illustr. Heinecc. w. P. 4. §. 282. n. 2.*; vnde & coniugium inaequale dicitur *Theodos.*

§ Valent. L. 3. C. de natur. liber., quod quidem legibus ciuilibus, non autem naturalibus solutum est, vid. Merillius Obs. 3. 17. vnde adulterium in concubina vindicatur L. 13. pr. §. 1. w. ad L. Iul. de adult. nec in concubinato esse potest ea, quae fuit patris concubina, L. 1. §. 3. w. de Concub. Neque omnis femina in concubinato haberi poterat, sed ea tantum, in qua stuprum non committitur; L. 1. §. 1. w. de concubin. Quare liberta, cum vxor ab ingenuo duci poterat, concubina haberi nequibat, nisi matronae honorem amittere velit; vid. L. 41. §. II. w. de rit. nupt. patroni quidem concubina, vt matrona erat; cum honestius illi sit, libertam olim ancillam concubinam habere, quam matrem familias, vid. L. 1. pr. w. de concubin. Nec ingenua arcetur a concubinato; modo testatione manifestum fiat, L. 3. pr. eod., quae loco professionis turpitudinis erat. L. 24. w. de rit. nupt. Noodt. ad w. de rit. Nupt. Etenim cum ingenua, cuius nec pater, nec maritus equites romani fuere, corpore quaestum facere potuerit; multo magis potuit in concubinato esse. Nec satis caussae est, quod Noodtius all. loc. censeat, ingenuam haut potuisse corpore mereri; vid. Suetonius in vita Tiberii c. 35. Papi- nian. L. 10. §. 2. w. ad L. Iul. de adult., cum Caesar illas tantum, quae, vt poenam effugerent, famosi iudicii notam sponte subibant, exilio affecit. Quod genus coniugii substitit vsque ad Leonem in Oriente, vid. Nou. 91. licet antea Constantinus M. id subuertere frustra conatus fuerit, L. vn. C. de concub. In Occidente demum Reformat. Polit. ann. 1530. tit. 33. sublatum; conf. Heinecc. π. P. 4. §. 286. de quibus infra §. 34.

§. XIX.

## §. XIX.

Spectato iam feminarum genere, quarum pudicitiam Lex Iulia non curat; progredior ad Imperatores Augustum sequentes. Ac ob ipsorum Caesarum lasciviam interdum neglectam fuisse Legem de pudicitia ex *Suetonio* constat; interdum tamen & libidinosissimi poenam legis Iuliae exercuerunt; ut de Caligula testatur *Sueton. in eius vit. c. 24. 29.* & *Dio: L. 59. p. 642.*, prout quemque animus duceret. Vnde vero evenit, ut libido & luxuria coercente nullo inualeret, quae & Neronis, Galbae, Ottonis & Vitelli temporibus eo processerat, ut ne ullus quidem de Iulia Lege cogitasse videatur; conf. *Doctiss. Hoffmann ad L. Iul. de adult. c. 9.*, qui singulari industria in fata legis Iuliae sub seqq. Imperat. inquirat, usque dum Domitianus rigidus morum Censor illam legem in usum reuocavit, quo pertinent illa *Martialis L. 6. Epigramm. 91.*

*Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque moechari.  
Idem Epigr. 8.*

*Iulia lex populis, ex quo, Faustine, velata est;*

*Atque intrare domos iussa pudicitia:*

*Aut minus, aut certe non plus vigesima lux est,*

*Vid. Heinecc. Antiqq. L. 4. T. 18. §. 52.*

Neque vero solum ab illo repetita, sed & subrogata fuit: *Suetonius c. 8. Probrosis feminis lecticae usum ademit, insque capiendi legata haereditatesque.* Probrosas feminas esse meretrices *Cuiacius* existimat ad *Papinian. Quaest. Libr. 33. L. 14. §. de his, quae ut indign.*; quem autem refellit *Papinian. L. 16. §. 1. §. eod.* Quoniam enim liberta patroni concubina esse potest, nec actionem denegandam dicit *ICTUS* ad adipiscendum,

dum, quod ei relictum erat; praesertim cum Lege Papia Poppaea licitus esset concubinatus: alias si in concubinato alterius fuisset, tanquam stupri rea ius capiendi legatum non habuisset. Clarius L. 14. *eod. l.* Mulierem stupro cognitam ad testamentum non admitti, sed, quod ei relictum est, ad fiscum pertinere affirmat Ictus. Quamobrem non ad meretrices, quas nec lex Iulia notabat, sed ad eas, quae, cum primum adulterii consuetudinem habuerant, eandem flagitiosam coniunctionem in nuptias commutauere, pertinuisse certum est; conf. *Hoffmann all. l. §. 4. 5.* Quod ad ius capiendi legata haereditatesque attinet; non omnes omnino intelligendae sunt haereditates; sed tantum moechorum adulterorumque; quod iterum *Papinian. docet. L. 14. 16. §. 1. §. de his, quae ut indign. aufer.* Quod magis apparet ex *Iuuenali Sat. 1. v. 55.*

*Cum leno accipiat moechi bona, si capiendi*

*Ius nullum vxori.*

Nam in fraudem Lenones haeredes instituebantur a moechis, ut restituerent vxoribus bona; adi sic *Hoffmann. all loc.*, quae etiam probrosae feminae ab usu lecticarum prohibitae fuerunt. His enim portabantur matronae & honestae feminae; vid. L. 49. *pr. de Legat. 3. Briffon. L. 2. select 4.* Ceteros Imperatores vel illam legem Iuliam exercuisse, ut de Hadriano constat ex L. 27. §. 6. *¶. ad L. Iul. de adult. & Aelio Spartiano*; vel neglexisse, quemadmodum de Commodorefert *Lampridius vit. Antonini Phil. c. 29. de Alexandro, vid. L. 9. C. ad L. Iul. de adult.*

§. XX.

Constantinum M. seueriorem pudicitiae vindicem egisse,

F

gisse,

gisse, vel sola grauior poena adulterii constituta L. 30. §. 1. C. ad L. Iul. de adult. loquitur. Ac praeterea quaecunque fere iudicia acerrime exerceri iussit. v. *Franciscus Balduin. in Constant. M. L. 2.* Neque tamen poenam stupri Lege Iulia statutam immutasse apparet. Nisi quod in domino caupona adulterium ac stuprum vindicari voluit; ministram vero, quae plerumque ipsa intemperantiae vina praebet, a iudiciali seueritate immunem praestitit; v. L. 29. C. all. t. At nec, si ex confessione propria vel probationibus certis atque euidentibus constet de flagitio, appellationem recipiendam esse statuit L. 1. C. Theod. Quor. appell. non. Et quamuis publicam adulterii accusationem sustulerit Imperator, L. 2. C. Theod. de de adult: eam tamen retinuit in ea, quae se seruo proprio iunxerit, ad publicam familiarum honestatem publicumque decus conseruandum; conf. *Iac. Gothofr. ad L. 1. C. Theod. de mulieribus, quae se seruo propr.* Certe ea aetate poenam Legis Iuliae obtinuisse, exemplum Anepsiae stupri damnatae ab Ammian. Marcellino relatum docet L. 28. p. 397.

## §. XXI.

Iustinianum nec stupri poenam in masculis aliter statuisse, §. 4. *Instit. de publ. iudic.* docet. Neque in hoc crimine feminarum lasciuiam alio modo coërcuisse vllum suppetit argumentum. Vt proinde credere fas sit, relegationem & ademptionem partis bonorum ad reprimendam puniendamque innuptarum impudicitiam sat grauem existimasse. *Nov. 134. c. 10.* enim de adultero adulteraque agere res ipsa loquitur; non autem de virgine vel vidua, quas rigori legis relinquit, vxorum tantum misertus. At in Iure occidendi mutasse videtur *Iustinianus Nov. 117. c. 15.* Tametsi enim his tem-

temporibus illud ius vitae & necis patribus iam ereptum erat; vid. *Heinecc. Antiq. de patr. potest.* facultatem tamen Lege Iulia concessam impune adhuc exercuisse ex *d. Nou.* colligi posse videtur. Ea namque, quae Iustinianus marito permisit, ut nempe tribus contestationibus ex scripto praemisisset adulterum, modo eum colloquentem inuenerit in sua domo aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis, propriis manibus interimere, & ad innuptas trahenda esse Iustinianus ipse fidem facit, *all. Nou. c. 10.* his verbis: *Et generaliter disponimus, ut si quis inuenerit suam uxorem, aut filiam, aut neptem, aut sponsam in venerandis locis cum aliquo loquentem, & suspicatus fuerit turpis gratia causae eos colloqui; tradat eos defensori, aut aliis sanctissimae eius Ecclesiae Clericis, ut ipsa suo periculo utrasque personas diuisim tamdiu custodiant, donec iudex eos accipiat, & secundum leges causas decernat.* Ideo autem mariti tantum meminit Iustinianus, quandoquidem non omnem poterat adulterum occidere, sed qui in *L. 24. π. ad L. Iul. de adult.* nominantur; hac demum constitutione quemcunque adulterum occidere licet. Patrem vero omnem in filia deprehensum interimere potuisse notum est; quare non opus erat, ut ei, quod iam licebat, permitteretur. Id notandum est, ut quis olim in *ἑγγυ* deprehensus fuerit, necesse fuisse, quod Imperator eousque mutauit, ut occisio etiam licita censeatur, quando tres contestationes antecesserint, & filia cum stupratore in dictis locis deprehenderetur, quo in suspicionem stupri ponebatur uterque. Amplius, existimo, patrem oportuisse trucidare ytrumque: id enim mutatum non reperitur, nec, quod marito adulterum occidere tantum licet, contrariatur: hic namque uxorem nunquam perdere potuit;

tuit; vid. *d. L. 24. pr. π. ad L. Iul.* Neque stupri damnata vxor duci potuit; licet maritus vxorem suam, adulterii damnatam, ad societatem iterum intra biennium admittere potuerit, forte ob illam matrimonii sanctitatem, & diuortii odium.

## §. XXII.

Ad Teutones nostros proventus, de eorum pudicitia ac modo eam conseruandi dispicio. Equidem certum est, illos castitatis laude maxime floruisse; quandoquidem & iis, quae solent pudori repudium mittere, facile caruerunt. *Sep-ta*, inquit *Tacitus*, de morib. Germ. c. 19, *pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuorum irritationibus corruptae, litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.* Et licet rei sc. venereae, vt explicat *Hertius in Notit. Germ. Vet. P. 1. c. 36. 2.* nulla fuerit occultatio; nec tamen eo ad lasciuiam irritati sunt; quin potius intra vigesimum annum feminae habuisse notitiam in turpissimis rebushabuerunt teste *Iul. Caesare. VI. de Bello Gall. c. 21.* Hinc sera iuuenum venus, eoque inexhausta pubertas, vid. *Conring. de habitus corporum German. antiq. & nou. caussis S. 2. C. 2. §. 30. seq.* & *Burgrafius in not. conf. Hertius Polit. P. 2. S. 2. §. 9.* Quare cum in summo apud Germanos honore pudicitia fuerit, & venus praepropera eisdem turpissima habita; mirum esse non debet, quando erga impudicas inexorabiles extiterunt. Ita enim *Tacitus all. l. Nulla*, ait, *etiam publicatae* (vt legit *Lipsius*) *pudicitiae venia: non forma, non aetate, non opibus maritum inuenit.* Adeo iracundia magna erat erga feminas, voluntate sua inquinatas, vt ne veniae quidem spes superesset. Vnde forsitan hodiernum est paroemia:

Wer

Wer eine Huer nimmt wissentlich/  
Der ist ein Schelm öffentlich.

De qua paroemia vid. *Hert. L. 1. Paroem. 12.* Verum enim vero in hac gente tam erat seuera morum disciplina, ut, Auctore Tacito, *nemo illic vitia rideat, nec corrumpere & corrumpi saeculum vocetur*; Quemadmodum apud Romanos; (in hoc libello enim Tacitus Romanorum disciplinam cum Teutonum moribus comparat;) vbi rusticitatis magis, quam virtutis argumentum erat pudicitia; vid. *praeced.* Ceterum quodsi euenerit, ut qua stupro sese contaminari passa fuerit, poena erat praefens. Ea autem erat, ut coeno ac palude, iniecta insuper crate mergerent, *Tacit. de mor. Germ. c. 12. Ignauos, & imbelles & corpore infames, coeno ac palude iniecta insuper crate mergunt.* Corpore vero infames intelligi vitiatas feminas puto; nec placet *Henr. Gottl. Franci* opinio in *Dissert. de Iurispr. Veter. German. §. 7. n. 5.* prolata; existimat enim, eos censerī corpore infames, qui, ob nimium cibi ac potus vsum, corpus ita corruerint, ut amplius bello gerendo haud idonei essent. Cornelius ignauos & imbelles vocat eos, qui belli munia obire detrectant vel inita pugna foede fugiunt. Corporis igitur infamia aliud significat. Corpore enim non delinquit, qui periculum timet, parumque audacia viget, sed feminae corpore peccant, eo merent, illud prostituunt. Ita virgines stuprum perpetratae, corporum ludibria deslere dicuntur, apud *Curt. L. 10. C. 1. n. 3.* vnde lasciuas & voluptuosas feminas recte intelligi credo. Crudeliores fuisse Saxones in impudicas docet *Bonifacius Moguntinensis Archiepisc. & Romanae Sedis Legatus, per Germaniam, in Epist. ad Aethebaldum, Regem Merciorum, ab Hertio*

Not. Vet. Germ. regn. P. 3. C. 3. §. 3. citata: *In antiqua Saxonia*, scribit, si virgo paternam domum cum adulterio maculauerit, vel si mulier maritata, perdito (l. fracto) foedere matrimonii, adulterium perpetraverit; aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam vitam finire, & super bustum illius incensae & concrematae corruptorem eius suspendunt; aliquando congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis caedentes & vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, & cultellis suis totum corpus eius secantes, & pungentes minutis vulneribus, cruentatam & laceratam de villa in villam mittunt, & occurrunt semper novae flagellatrices, zelo pudicitiae adductae, eamque aut mortuam aut vix vivam derelinquunt; ut ceteri timorem adulterandi & luxuriandi habeant. Vestigia huius poenae adhuc suo tempore in Westphalia fuisse testatur *Wernerus Rolefinck de situ & moribus Westphal. L. 1. c. 7. cf. Ioh. Christoph. Cleffel. Antiq. Germ. C. 1. §. 16. 17. §. XXIII.*

Postquam populi germanicae originis legibus scriptis uti coeperunt; deposita illa disciplina paullo seueriori mitiores fuere, ac sapientissime constituere, ut vitatae pretium i. e. dotem emtionalem soluat stuprator. *Leg. Burgundionum* cautum reperitur *Tit. 44. §. 1. in Codic. Frieder. Lindenbrogii* si qua Burgundionis ingenui filia, priusquam marito tradatur, cui-cunque seu barbaro seu Romano occulte adulterii se foeditate coniunxerit, & postmodum ad querimoniam facti processerit, & sic obiecta claruerint; is, qui in eius corruptione fuerit accusatus, & ut dictum est, certa probatione conuictus, **INLATIS XV SOLIDIS**, nullam calumniam patiat. Illa vero facinoris sui dehonefata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam. Verum enim vero

vero & Germanis ea fuit consuetudo coëmendendi vxores, & do-  
 tem legitimam pro puella soluendi; de qua vid. *Gundling. de*  
*Emtione vxor. c. 1. §. 17. seqq.* Hinc cum quis feminae vir-  
 ginitatem interfecerat, eoque pretium puellae valde immi-  
 nuerat; ea enim vendendo amplius non erat: rationi con-  
 uenire rati sunt Teutones, vt corruptor eiusdem pretium  
 soluat. Femina autem amissi pudoris sustineat infamiam,  
 Pretium vero puellae Burgundionis erat XV solid, quod do-  
 tem legitimam conficiebat; v. *Tit. 69.* Solidum pro floreno  
 aureo Rheni habet *Gundling. all. l. §. 21.* Id adhuc notan-  
 dum est, *LL. Burgund.* & adulterantes deprehensos impune  
 occidi potuisse; verum vterque vt trucidetur necesse erat; non  
 alter tantum, nisi poenam homicidii luere velit occisor; vid.  
*Tit. 2. §. 2. Tit. 68.* Ad eundem fere modum stupri poe-  
 nam exegere Alemanni; femina enim Alemanna emebatur  
 XL. Solid, quod pretium dotis loco erat, vid. *LL. Alem. Tit.*  
*55. §. 1. §. all. Gundling. d. l. §. 31.* Vnde Lex praecipit. *Tit.*  
*54. §. 1. Si quis filiam alienam non desponsatam acceperit sibi vxo-*  
*rem; si pater eius eam requirit, reddat eam, & cum XL. Solid. eam*  
*componat.* Obseruandum hic est, accipere sibi vxorem signifi-  
 care absque consensu parentum, nec soluto emtioneis pretio,  
 quod idem est ac stuprum inferre. Apud Boios quae fuerit  
 quantitas dotis, *Tit. 7. §. 8. LL. Baiuuar.* docet. *Si quis cum*  
*libera cum consensu ipsius fornicauerit, & nollet eam in coniugium*  
*sociare, cum XII. Solid. componat; quia nondum desponsata, nec*  
*a parentibus sociata, sed in sua libidine maculata: vnde innotescit,*  
 dotem fuisse apud Baiuuarios XII Solid: Equidem existi-  
 mat *Gundlingius all. l. §. 30.* pretium virginis Baiuariae XL.  
 Solid, fuisse, propterea quod raptor crimen XL, Solid, com-  
 ponere

ponere debeat; v. *LL. Baiuu. T. 7. §. 6.* At vero tenendum est, in raptu duplicari interdum pretium, vt in *LL. Burgund. T. 12.* videri potest, vbi sextuplicatum pretium soluit raptor; add. *LL. Ripuar. Tit. 34.* Quare inde quantitas dotis liquido determinari nequit; sed potius XII Solid. apud Boios confecisse dotem certum facit all loc. Ad Ripuarios, gentem Francorum, progredior; quorum *LL. pretium feminae definitum est;* v. *T. 34. §. 1. si quis mulierem desponsauerit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter in conuulsam permaneat;* §. 2. *Si autem per seriem scripturarum (i. e. per pactum expressum) nihil contulerit, si virum supervixerit L. SOLIDOS IN DOTEM RECIPIAT.* Unde conspicitur, dotem legitimam L. Solid. fuisse; quam & stupri reus ob vitium puellae illatum dare tenebatur. Clare enim *LL. Ripuar. tit. 35. §. 2. si quis cum ingenua puella moechatus fuerit, L. Solid. culp. iudicetur.* Restat vt de Saxonibus dicam qua ratione hanc cohibuerint lasciuiam? At tacent leges de stupro; de dote tamen, quam vir puellae parentibus numerare debet, disponunt; ita enim *LL. Sax. tit. 6. uxorem ducturus, CCC Solidos det eius parentibus.* Cur feminas carius vendiderint Saxones? vid. *Gundling all. loc. §. 25.* Praeterea *tit. 9.* cautum est; *Qui feminam ab alio desponsatam RAPVERIT, CCC PATRI PVELLAE, CCC SPONSO COMPONAT, & insuper CCC. solid. emat eam.* Ex qua lege colligi posse existimo, & parentibus vitatae pretium solvere debuisse reum: vti enim hic patri laeso, Sponso, cui sponsa erepta, & feminae contra voluntatem abductae satisfaciendum fuit dote triplicata: ita e contrario, cum in stupro volenti illato nullius, nisi parentum, iniuria versetur; sic nec aliis,

aliis, nisi parentibus, pretium emtionale i. e. dotem legitimam, quae erat CCC Solid., soluendam, eaque laesionem componendam fuisse suspicor. Vnde tandem planum atque apertum fit, hisce quidem temporibus nullam hactenus dedisse poenam publicam stupratores; caue enim credas, pretium illud soluendum fuisse poenam; id namque parentibus laesis, dum filia vendendo minus apta fuit facta, in restitutionem damni concedebatur; neque fisco inde vllum accrescebat lucrum. Femina autem sua voluntate contaminata, erat infamia facti notata.

## §. XXIV.

At vero Carolus M. qui populi sui leges ad meliorem statum redigere maxime laboravit, teste *Eginhardo c. 29.* non solum pretium puellae soluendum, sed & amplius ducendam esse vitiatam constituit, legi Mosaicae conformiter. *Capitular. L. 6. c. 24. 25. edit. Baluz.* Et cum stuprum hactenus extra poenam positum erat; ut *praeced.* dictum est: nec id esse defuit. Tamen in *Capit. L. 7. c. 395.* constitutum est. *Qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducant, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conueniat, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat: qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat, sed propinquis suis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat & insuper canonicè publicam poenitentiam gerat.* Interea tamen certum est, id ad raptum solum modo pertinere, & cum saepe neglecto parentum consensu puellas persuasionibus inductas clam sibi sociarent, hac constitutione id prohibere

hibere voluit Imperator; Non autem adeo seuerè simplex stuprum punire; quod vel inde probatur, quando dicitur, *qui uxorem habere vult, canonicè accipiat, & non rapiat.* Gloriosum namque tum temporis habebatur rapere virgines, de quo *conf. all. Cleffel. c. 1. §. 10.* Ceterum peculiare est, quod clericus vel ancilla Dei ob crimen fornicationis in carcere poenitentiam facere debent in pane & aqua; vid. *Capit. L. 7. c. 400.*

## §. XXV.

Neque aliter constituisse Imperatores sequentes, vel grauiori dignum poena id criminis censuisse, apparet. Quandoquidem enim, cum parentibus laeſis soluto emtionis pretio satisfieret, & femina ducenda, magis postulari posse non videbatur. Id notandum est, hoc tempore viduam velatam, quae viduam vitam agendam professa erat, si stupro forte inquinata deprehenderetur, monasterio inclusam, eiusdemque bona fisco acquisita fuisse; v. *Hahn's Reichs-Historie P. 2. C. 1. §. 7. l. (g).* Tametsi enim de illarum matrimonio loquuntur exempla, neque de concubitu extra matrimonium commisso; attamen inde colligere licet, multo magis eam poenam sustinuisse stupri reas, quam quae neglecta professione ad votum conuolarunt; quod equidem & scortationis species est, cum id matrimonium horrendum visum fuerit; vid. *all. Hahn d. l. in fin.*

## §. XXVI.

Quemadmodum vero nulla fere gens existit, qua non diuersi personarum status deprehendantur; ita & feminarum diuersa dignitas inducit differentiam pretii, quo emuntur puellae: Quae cum & apud Teutones valuerit; haud

haud mirum esse debet, quando & puellae seruae, libertae vitium illatum minoris fuit pretii. Equidem apud Romano searum Venus impunis erat; at Germani, licet haud gratis, minori tamen pretio ea fruebantur. Ancillarum vero amorem, cum illae, vt emantur ad matrimonium, tanti non erant, exercere haecenus extra poenam fuisse existimo, vt ne pretio quidem redimere illum opus fuerit. Cum his namque connubium non erat, neque adeo pretium siue dotem soluere debebat corruptor. Quod vel inde patet, quandoquidem qui ancillam sibi coniugio sociat, & ipse seruus sit; vid. *L. Salic. tit. 1. c. 14. §. 11. Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipse cum ea in seruitio implicetur;* add. *LL Ripuar. tit. 58. §. 15. conf. Potgiesf. de condit. seruor. L. 2. c. 1.* Etenim cum adeo Germanis ancillarum cum ingenuis matrimonium exosum erat, vt & in poenam serui fierent; certe in illis stuprum commissum haud vindicare poterant, cum ad ducendam vitiatam cogere nequibant; neque ad soluendam dotem vel pretium, quae emtioni idonea non erat. Libertae vero, quae manumissione alicuius esse valoris coeperat, pretium, licet non adeo magnum, vt ingenuae, pendere debebat, qui eiusdem virginitatem interfecerat: *LL Baiuuar. T. 7. §. 6. Quodsi vero ingenuus cum dimissa, quam Frilazin vocant, concubuerit, cum VIII. Solid componat.* Ex quibus saltem id colligitur, Teutones quoque in vindicando stupro ad feminarum statum respexisse, easque, quae statu a viro differebant, concubinas esse tantum, non vxores voluisse; conf. *all. Hahn P. 2. c. 1. §. 22. L. (k).*

## §. XXVII.

Quanto autem mitiores fuere Germani erga eos, qui  
 G 2 ingenuis

ingenuis abstinent, & in inferioribus tantum peccant; tanto certe seueriores contra exstiterunt, in puniendis seruis, vel libertis, qui ingenuae vitium intulere. *LL. Boiorum* seruus parentibus puellae ad interficiendum traditur, *v. Tit. 7. §. 9.* Dotem namque seruum dare, cuius matrimonium maxime habebatur dedecorum, iuris ratio non permittebat. Nec impune fert puella, cum voluntate sua vitiosa sit. Quod si enim femina ingenua voluntarie seruo se coniunxerit, vtrumque occidi iubet *L. Burgund. tit. 35. §. 2.* Ceterum existimo, parentes potuisse impune seruum, qui filiae pudicitiam violauerat, vt & filiam ipsam occidere. Quod docet *Lex Longobard. L. 2. T. 9. Leg. 2.* apud Lindenbrog. *Si seruus liberam mulierem, aut puellam ausus fuerit sibi coniugio sociare, animae suae incurrat periculum; & illam, quae seruo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris prouinciam transuendendi, & de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint: Et si parentes eius intra anni spatium hoc facere distulerint, liceat Gastaldio Regis, aut aetori, aut Sculdasio, ipsam in curtem Regis dicere & inter pensiles ancillas constituere.* Ex hoc illicito concubitu nati subiiciebantur perpetuae seruituti *v. LL. Ripuar.* apud Lindenbrog *Leg. 11. p. 462.* *Si autem ecclesiasticus romanus, vel regius homo ingenuam Ripuariam acceperit, aut si Romana vel regia, seu Tabularia ingenuum Ripuarium in matrimonium acceperit, GENERATIO EORVM SEMPER AD INFERIORA DECLINETVR.* Hinc illa Paroemia Iuris Germanici: *Das Kind folget der aergern Hand;* conf. *Hert Paroem. Iuris German. L. 2. par. 6. §. 2. Diff. de homin. propr. S. 4. §. 5.*, cuius ratio in odio tam erga matrimonia disparia, quam omnes imparis conditionis concubitus, posita est. Crudelis profecto videri posset *Lex Saxonum*, cuius meminit

meminit *Adamus Bremens.* L. 1. *Hist. Eccles.* c. 5. *Generis quoque ac nobilitatis suae prouidissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam & sinceram, tantumque sibi similem gentem facere conati sunt. . . Et id Legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis, propriae sortis terminos transferat; sed Nobilis Nobilem ducat uxorem, & liber liberam; Libertus coniungatur libertae & seruus ancillae. Si vero quispiam horum sibi non congruentem & genere praestantiorum duxerit uxorem, CVM VI-TAE SVAE DAMNO COMPONAT.* Hodie adhuc capitale habetur, principi virgini vel viduae stuprum inferre. Quemadmodum poenam mortis nobili adiudicarunt, qui principem corruperat, *Hallenses. v. Christ. Gottlieb Riccius, von Landsässigen Adel in Teutschland. P. 2. c. 41. §. 1.*

## §. XXVIII.

Tametsi autem & in vindicanda lasciuia Germani ad feminarum statum attenderunt, ac prout cuiusque conditio tulit, pretium constituerunt; tamen existere id genus feminarum, quibus tutè frui liceret, noluerunt. Certe vilissimam abiectissimamque vitae rationem habitam fuisse illam consuetudinem meretriciam testis est *L. Salic. tit. 35. §. 5.* maxima namque credebatur iniuria, meretricis nomine mactare aliquam mulierem; unde, qui talis iniuriae reus nec veritatem criminis obiecti euincere poterat, XLV. solid. culpabilis iudicabatur. Quam vero meretricem esse constabat, *Wisigothi* publice flagellis verberabant, *LL. L. 3. tit. 4. c. 17.* *Si aliqua puella ingenua siue mulier in ciuitate publice fornicationem exercens, meretrix agnoscat, & frequenter deprehensa in adulterio, nullo modo erubescens, iugiter multos viros*

per turpem suam consuetudinem adtrahere cognoscitur, huiusmodi a Comite ciuitatis comprehensa trecentis flagellis publice verberetur, & discussa ante populum dimittatur. Apud Francos eandem fere poenam sustinuisse scorta, ex *Capitulari de Minister. Palatin.* a Steph. Baluzio edito Tom. I. Capit. p. 343. apparet. Ita enim: *Similiter de Gadalibus & MERETRICIBVS* volumus, ut apud quemcunque inuentae fuerint, ab eis portentur ad mercatum, ubi ipsae flagellandae sunt; vel si noluerit, volumus, ut simul cum illa in eodem loco vapuletur. Quare cum meretriciam vitam poenis cohiberent Teutones; multo minus existimandum est, lupanaria scortorum officinas vnquam apud illos tolerata fuisse, secus ac apud Romanos; v. *supr.*

## §. XXIX.

Stuprum hucusque extra poenam positum fuerat; sed Pontifex, quamuis sanctionem Mosaicam confirmauerit *c. 1. X. de adult.* in alia omnia tamen iuit, atque non solum praecipit, ut & ducat & dotet stuprator vitiatam, haud attento, hanc legem eam tantum admittere rempublicam, in qua non reperiantur diuersi hominum status, qui promiscuas conjunctiones respuunt, qualis est Germania nostra, ubi non omnibus est ius connubii, sicuti contra erat iudaeis qui ignorabant distinctiones nobilium & plebeiorum: sed & ut septem annorum poenitentia afficiatur in foro interno; v. *c. hoc ipsum. 33. qu. 2.* pro omnibus namque peccatis est satisfaciendum; aperta publica, occulta priuata poenitentia esse delenda, Pontifex praecipit, v. *c. 1. X. de poenitentia;* ibique Gonzalez Tellez. Cum enim ad leuiora delicta referebantur stuprum, adulterium &c. v. *c. 4 §. 1. X. de iudic.* ea autem ad forum poenitentiale pertinent; v. *Pertsch. Elem. iur. Can. P. 2.*

§. 267.

§. 267. Ideo a presbytero ea indicitur, quae pro ratione sexus varia est; *Coruin Inst. Iur. Canon. L. 4. Tit. 41. §. 11.* & masculos grauius, quam feminas, coërcendos esse ostendit *C. pen. L. 32. Q. 6.* idque eo magis ad suam pertinere iurisdictionem existimauit, quod stuprum sequi debeat matrimonium, & sit sacramentum atque spirituale quid contineat. Hoc forum poenitentiale vero ad fulciendum Clericorum Imperium extractum esse, nec vlllo niti fundamento idoneo, ex *Diff. 3. Illustr. Boehmeri ad Plinium Secund. discitur, conf. Pertsch. all. l. §. 355. seqq. & P. 1. §. 658. seqq.* Quodsi vero, qui stuprum feminae intulit, eandem ducere renuat; neque enim satis tutum credidit, armata manu ad istam societatem rapere corruptorem, vid. *c. 2. X. de Sponsal.*, sed ad emolliendam legis duritiem, *c. 2. X. de adult.* & illum quodantenus cogendum, voluit, vt corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterium, in quo agat poenitentiam, detrudatur, & ex quo nulla sit egrediendi licentia sine praeceptione; vid. *c. 2. X. de adult.*; conf. *Ziegler ad Lancelot. Inst. Iur. Can. de adult.* Cum enim copulam carnalem constituere matrimonii sacramentum credunt, vid. *c. 17. C. 27. Qu. 2. & c. 5. X. de Bigam. non ordinand.* ex illato autem stupro consensus coniicitur; vid. *C. 2. de regul. Iur.* tam acerba poena eum affecit, qui illius sacramenti non solum violator, sed & contemptor existit. Vnde tandem is, qui ducit vitiatam, in honorem sancti matrimonii ab omni immunis est poena; licet olim stuprator vitiatam ducere non potuerit; vt docet *Can. 14. Concil. Illibert. a Gonzal. Tell. ad c. 2. X. de adult. n. 9.* allegat. Detrusionis vero in monasterium ea est ratio, vt inclusi monasterio, vel tempore certo, vel perpetuo

petuo manere debeant, nec toto illo tempore exire possint, quo tanquam carcere detinentur non solum, sed quoque sub censura & rigore disciplinae monasticae, etiam quoad exercitia grauiora monastica pro modo culpae vivere debent; v. *Gonzal. Tellez, ad. c. 1. X. de regular. transeunt. ad religion. n. 10.* vt sub hoc onere praeterita mala plangant, nec plangenda committant; vt loquitur. *c. Sacerdos 81. distinct.* conf. *Gregor. Tholos. Partit. Iur. Canon. L. 4. Tit. 15. c. 4. l. (aa)* Neque tamen eo fiebant monachi, vt probat *Gonzalez Tellez, all. loc;* essentia namque Monachismi continetur illis tribus votis, paupertatis; castitatis & obedientiae. Ceterum ex istis perspicitur, ius Canonicum disiunctiue non disponere, vt aut dotet, aut ducat; quemadmodum quidam sentiunt; v. *Gonzal. Tellez, ad. d. c. 2. X. de adult. Ziegler ad Lancelot. de adult. §. 3.* contrarium probat *c. 1. X. de adult. & ipsa renuenti dictata poena in c. 2. eod. conf. Ziegler all. loc. Gregor. Tholos. cit. l. c. 3.* Clericus cum ad ducendam stupratam adstringi nequeat; v. *Coruini Inst. Iur. Can. L. 4. T. 18. §. 3.* in foro interno seueriori satisfacere debet poenitentia decem annorum, quae describitur; *c. Presbiter. 82. distinct.* In foro autem externo deponitur, v. *c. si quis clericus 81. distinct. c. romanus distinct. ead. c. Lator c. 2. quae. 2.,* de qua poena vid. *Consult. Dn. Kayser, Profess. huius Acad. celeberr. Diff. de poena regradationis c. 1. §. 20. sqq.* Seuerior autem poena est constituta, quando sacra virgo stupro polluta est, *c. si quis Episcopus C. 27. qu. 1.* laicus enim excommunicatur; clericus deponitur. At qui cum filia spirituali rem habuit sacerdos, deponitur, & duodecim annos poenitere debet, posteaque monasterium ingredi; nec non femina, si Laica, distributis

stributis bonis pauperibus, in monasterium relegatur. *c. 9. si quis sacerdos. c. 30. qu. 1. c. omnes quos. c. 30. qu. 1.* Cum enim per confessionem cognatio spiritualis contrahitur; id potius incestus spiritualis, quam simplex stuprum esse creditur; v. *Coruinus all. l. §. 5.; ibique Boehmer.* Non praetereundum hic est, quod, quum alias iure romano vitiatam ducere vetitum esset, Pontifex Clemens III. *c. 20. X de sponsal. id mutauerit.* Secundum *c. Tria 45. distinct.* namque errantes in viam reducere veritatis genus erat eleemosynarum atque Deus ipse praecepit, vt vxorem fornicationum sumeret *Osia c. 1. v. 2.* Quare constituit Papa, vt, qui mulierem publicam de lupanari extraxerit & duxerit in vxorem, in remissionem proficiat peccatorum, atque meminisse debeat, se opus facere charitatis; v. *Gregor. Tholos. d. 1. L. 3. c. 21. c. 13. n. 4. sed vide c. 17. 18. Apostol. c. maritum 33. distinct. c. curandum. c. si quis viduam aut eiectam. 34. distinct.* ita rationes subducit Pontifex. §. XXX.

Sicuti vero haec scita Iuris Canonici absona sunt, ita & delicta carnis, quo & pertinet stuprum, mira confusione obuoluit, in iisque definiendis hallucinatur. *c. Lex illa §. 1. C. 36. Q. 1.* Gratianus ait: *Fornicatio autem, licet videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui sit extra vxorem legitimam; tamen specialiter intelligitur IN VSV VIDVARVM, VEL MERETRICVM, VEL CONCVBINARVM. §. 2 stuprum autem proprie VIRGINVM EST ILLICITA DEFLORATIO.* Cuius confusionis originem rimari liceat. Notum est, in eo consistere stupri & fornicationis differentiam, quod *stuprum* in soluta honeste viuente; *fornicatio* vero in quaestuarua committatur; vid. *praeced.* Quod igitur Gratianus

H

a crimine

a crimine stupri remoueat viduam; idcirco factum esse censeo, quod legem diuinam Mosaicam male intellexerit; hanc enim, cum de virgine corrupta tantum loquatur, ad viduam transferendam haut esse credidit; atque ita de virginibus, non autem de viduis stuprum dici: quasi vero apud Ebraeos virgines solum dote emittita, vnde illa sanctio fluxit, acquisite fuerint. Accedit, quod maximo in odio fuerunt nuptiae secundae, nec, quamuis licitae, honestae tamen reputatae a plerisque populis. Ita *Valer. Maxim. L. 2. c. 1. Matronas eas, quae vno matrimonio contentae fuerant, corona pudicitiae honoratas refert apud Romanos. Tertullianus de Monogam. in fin. Vnde Dido apud Virgilium L. 4. Aeneid.*

*Huic vni forsitan potui succumbere culpae.*

*Vbi Seruius. id est: fortunam muliebrem non coronabant bis nuptiae. Eod. Libr.*

*Non licuit thalami expertem sine crimine vitam*

*Degere*

v. ibi *Seruius*; conf. tit. C. de secund. Nupt.

Maxime vero apud Germanos *Tac. de morib. Germ. c. 18.* quod & Leges germanorum, in odium secundarum nuptiarum latae, probant; conf. quae *Consult. Dn. Estor Diss. de Iure deuolut. in Hass. c. 4. §. 1. l. (c)* & in not. ad *Heinecc. Instit. §. 162. l. 9.* congeffit. Patres Ecclesiae secundas nuptias reprobasse ex c. 8. 9. 10. C. 31. q. 1. apparet; adeo vt & honestam fornicationem vocauerint; conf. *Ziegler ad Lancelot. L. 1. tit. 25. §. 19.* Ac licet non plane haecenus easdem damnaverint; tamen, cum incontinentiae quid iteratum matrimonium habere putauerint, tanquam honestati aduersas reiecerunt; vid. *Gonzal. Tellez. ad c. 5. X. de secund. Nupt.* Cur autem

autem in concubinis fornicatio intelligatur? quae tamen vxorum tenent locum, nec nisi quibusdam accidentalibus differre videntur ab vxoribus legitimis; tenendum est, eam fuisse concubinatus rationem, vt ad tempus plerumque sumerentur vxores, quod plane illicitum habebatur; vid. *c. 6. dist. 34. c. 5. C. 32. q. 2.* Sed cum ad perpetuam interdum cohabitationem admitterentur, id quadantenus tolerandum esse censuerunt patres, quo pertinent *c. 4. 5. dist. 34.* Honestius tamen esse vxorem sociare sibi legitimam, & reiicere concubinas, vtpote genus consuetudinis non satis decorae patet ex *c. 11. 12. c. 32. Q. 2.*, vt adeo quoque de odio in concubinatum dubitari nequeat; conf. *Gonzal. Tellez. ad c. 20. L. de sponsal. Ziegler ad Lancelot. L. 4. tit. 8. §. 7. Gregor. Tholos. Part. Jur. Can. L. 3. tit. 21. c. 6. l. (e).* Auxit illud neglectus benedictionis sacerdotalis, in qua exprimitur consensus animorum in matrimonium, vid. *c. 5. X. de bigam. non ordin.* atque cum concubinatus ista benedictione destituatur, fornicationi proximior, quam matrimonio creditus fuit. conf. *Illustris Boehmer. Schilter. illustrat. L. 2. tit. 11. §. 8. tit. 13.* Quin cum meretrice committatur fornicatio, dubium non est. Ridicula tamen est glossa, quae definit meretricem; vid. *Illustr. Boehmer. ad Coruini Instit. Jur. Canon. L. 4. tit. 21. §. 1. l. (l).* Ex dictis igitur facile erit iudicatu, cur vsus concubinarum, viduarum & meretricum ad eandem relatus fuerit classem: concubitus namque omnes extra matrimonium rite in initum celebrati fornicationis titulo insigniebantur; vid. *c. Lex illa §. 1. C. 36. q. 1.*; eosdemque maxime illicitos habebant canones, ex quibus matrimonium rite fieri haut poterat: de vidua dictum est; de concubina

loquitur *c. 12. C. 32. q. 2.*, in meretrice res est nota. At in stupro aliter se res habet: Regula enim Iuris Canonici est in *c. 2. de regul. Iuris*: copulam carnalem facere praesumptionem consensus coniugalis potius, quam fornicarii, ut vitetur praesumptio peccati. At in viduis, concubinis, meretricibus praesumptio haec locum habere nequit; in virgine autem optime; in qua ideo stuprum esse, quod secundum legem Mosaicam matrimonio emendari possit, creditum fuit.

## §. XXXI.

Fornicationis vocabulum in ea significatione, qua idem est ac scortatio, vetus non est. Latini enim scortationem dixerunt, ut scortum, meretricem; vid. *Horat. L. 1. Serm. Sat. 4. v. 111.* Quum vero meretrices in lupanaribus prostituebantur, quae cellis subterraneis fornicato opere distincta erant; inde lupanar fornicis nomen adeptum est; ut *Iuuenalis Sat. 3. v. 156.*

*Lenonum pueri quocunque in fornice nati.*

Hinc scortationis significatio ad fornicationem translata est; *Isidorus L. 10. Fornicatrix*, inquit, est, cuius corpus publicum. *Hae sub arcuatis prosternebantur, quae loca fornices dicuntur.* Qua in significatione eodem vocabulo utitur *Tertullianus de pudicit. c. 1. conf. Borrichii Animaduers. in Voss. de vitiis latini sermonis p. 107. Petronius, eiusdemque interpret. s. Du Fresne Glossar. med. & infim. Latin. voce Fornicarius.*

## §. XXXII.

Tame si vero Pontifex in *c. 1. X. de adult.* constituit, ut vitiatam dotet & ducat stuprator; quam Legem Deus Ebraeis dederat; tamen cum perpenderet, si non impossibile, valde tamen in hoc casu periculosum esse, ad factum simpliciter prae-

praestandum adigere eum, qui matrimonium cum corrupta pertinaciter recusaret: Ideo hunc in monasterium detrudi iussit; vid. *praec.* Cui originem debet dispositio, quam vocant, alternatiua; vid. *Ziegler ad Lancellot. de adult.*; eoque ius canonicum hactenus mutatum est; vid. *Berlich. P. 4. C. 38. n. 7. 16.* Licet coniunctiua ita se habeat, vt disiungi rite non possit; Lex namque diuina matrimonium cum stuprata imperat, quod vt eius consequens sequebatur dotatio; emebant vxores Ebraei dote legitima, vt dictum est praeced. Vnde nullo negotio perspicitur, hodiernam dotationem, qua satis fit vitatae, non esse dotationem, sed potius loco satisfactionis priuatae, quam leges decernunt; vid. *Stryk ad Brunnem. Ius Ecclesiastic. II. 18. §. 28.* Quamobrem causam esse nullam existimo, cur viduae satisfactionem illam denegent *Huberus praec. ad Inst. de adult. §. 6. Ant. Faber Cod. Sabaud. tit. 7. def. 5. n. 4. Sand L. 2. tit. 1. def. 10. & plures a Berlichio all. loc. n. 37. citati*; idcirco, quod dotem exigere nequeat, quae virum semel & dotem habuit, vel quod, quae virginitatis florem iam amisit, deflorationis pretium petere haud possit. Quandoquidem vero apud Ebraeos non virgines solum, sed etiam viduae ad coniugium admittebantur, cuius consequens erat dotatio; hinc & pro viduis soluendum erat pretium, i. e. dos legitima; & Teutones etiam viduas sibi dote adiunxerunt; hincque vitatae dotem soluere debebat stuprator. Et cum amplius hodie non est dos, quam stuprata accipit, sed, vt dictum est, satisfactio priuata, quam leges iubent; multo minus illa viduae abiudicanda est; conf. *Berlich. all. l. n. 37.* licet is ex alia hypothesi, dotationem nempe esse poenam, quod tamen falsum esse, ex dictis apparet; vid. *Tittius Iur. priu. L. 6. c. 9. §. 10. Lauterbach. Coll. Theor. pract.*

ad *L. Iul. de adult. §. 44.* Neque alicuius momenti est ratio, quam Huberus affert, quasi vero eam, quae semel dotem accepit, iterum postulare illam non posse; qua ratione id probari possit, ignoro: Vidua namque, quae iterum rite nubit, & dotem praetendit iuste, licet a praemortuo viro habeat dotem. Quid enim affinitatis habet dos praeteriti matrimonii cum praesente? Et iure Mosaico, vnde nostra legislatio originem traxit, quaecunque femina, quamuis etiam virginitatis florem amiserit, pretio emenda erat, & dos soluenda: praecipue autem, cum hodie sit satisfactio priuata, quam Leges decernunt in compensationem denegati matrimonii *v. Lauterb. all. l.* hoc enim iubent leges praecipue atque volunt: honestae igitur viduae, licet amplius seruo virginitatis non splendeat, satisfaciendum erit. Erroris vero huius originem e iure Canonico repetendam esse putem; in tanto enim odio erat usus viduarum, vt & fornicationem tantum, non autem stuprum in his committi existimaretur; *v. praec.* Cum igitur in stupro matrimonium cum dotatione locum tantummodo habeat, nec in fornicatione, qua suo periculo luxuriantur meretrices, vel iisdem similes, vt viduae; inde collegisse videntur, viduas fornicantes non esse dotandas, sicuti nec meretrices. Interea de hodierna dotatione adscribo verba *Titii Iur. priu. L. 6. c. 9. §. 11. in genere*, inquit, *putem, necessitatem dotandi graui ratione non niti, cum damnum, quod femina sua culpa sentit, sentire non videatur, quod naturalis & ciuilis ratio tuetur. L. 203. de R. I. conf. Gundling. Iur. Nat. c. 8. §. 35.* Equidem ea dotatio, quae iure Mosaico imperatur, ab hodierna penitus diuersa est; Deus namque volebat esse in Republica Ebraeorum, quam moderabatur, spu-

rios,

rios, nothos, ἀπάτωρας, qui male plerumque educati, magis noxii quam utiles fiunt ciuitati; praeterea etiam Ebraeorum status adeo diuersi non erant, vt apud alios populos; ignota erat nobilium & plebeiorum differentia; vid. *Gundling. Iur. Nat. c. 5. §. 44.* quare omnibus Ebraeis inter se ius legitimi connubii erat. Iubebat itaque Deus, vt, qui persuaserat feminae concubitum, eandem sibi matrimonio iungeret, & ex consequenti secundum morem Ebraeorum legitimo pretio, i. e. dote emat. At vero quam longe distat ab illa hodierna dotatio? vocant quidem dotem, sed naturam dotis respuit haec dotatio; nihilque aliud est, quam satisfactio privata vitatae debita: volenti autem non fit iniuria; vbi haec non apparet, nec reparationem siue satisfactionem necessariam esse certum est, praesertim cum alia coercedi delicti istius suppetat ratio.

## §. XXXIII.

Iure Pontificio *c. 2. X. de adult.* dispositum est, vt stuprator, quando nuptias cum vitata recusat, corporaliter castigetur, ac in monasterium detrudatur; alioquin, si expetit coniugium, a poena immunis est; quae ratio cogendi cum apud Protestantes reiecta fuit, & in eius locum poena carceris, vel relegationis temporalis vel multae pecuniariae substituta; *Berlich. P. 4. Concl. 38. n. 113.*; ad modum tamen Iuris Pontificii haec statuitur in casum deficientis matrimonii; e contrario autem, qui illud, quod copula carnali declarauerat, consummat; a poena hac liber iudicatur in honorem matrimonii, quemadmodum scabinos Lipsienses respondisse refert *Berlich. all. l. n. 115.* Alii vero ab omni poena eo casu immunes nolunt; mirius tamen in v-

trumque

trumque animaduerti debere; vid. *Berger Elect. Jurisprud. Crim. p. 141. Carpzou, Pr. Crim. q. 75. n. 49.* Vtut fit, certum tamen est, poenam hodiernam ad modum iuris Pontificii in casum deficientis matrimonii decretam esse. Ideoque in fauorem matrimonii contrahendi in consistoriis poenam remitti scribit *Carpzou. Jurisprud. eccles. L. 3. def. 80.* Quo casu vero poenitentiam ecclesiasticam subire tenentur multis in locis, vid. *Lauterb. Coll. theor. pract. ad L. Iul. de adult. §. 48.* de cuius origine, natura & fundamento, quo nittitur, consule *Illustr. Boehmerum in Diss. ad Plinium II., & inprimis Diss. 12. ad Tertullian. §. 16. & in Schilter. Illustr. L. 2. tit. 4. Origg. Iur. ecclesiast. c. 20. 21.*

## §. XXXIV.

Neque vero *ordinatio politica de Anno 1530.* ad stuprum referendum est. Tametsi enim quemcunque concubitum extra matrimonium prohibere videtur: maxime tamen ad proscribendum concubinatum, qui Germanis hucusque vilitatus fuerat, vid. *Heinecc. w. de concub., ea concepta est.* Idque ex ipsis *d. Ord.* verbis colligitur; namque habent *tit. 32. Von leichtfertiger Beywohnung; Diweil auch viele leichtfertige Persohnen auferhalb von Gott gesetzter Ehe zusammen wohnen* &c. Concubinatus enim tanquam coniugium inaequale, nec sollemnibus initum ritibus adeo illicitum non reputabatur, vt Clerici ipsi, quamuis vxoribus legitimis frui haud possent; tamen mulieres istas minus sollemnes habuerint; conf. *Illustr. Boehmer Iur. eccles. Protest. L. 3. tit. 2. §. 10. seqq. v. P. Simon. Bibliotheqe choisie.* At vero, cum creditum fuit, non omnem mulierem iunctam viro esse vxorem viri, vt loquitur *c. 12. C. 32. q. 2,* sed necesse esse,

esse, vt benedictione sacerdotali firmetur coniugium, vid. *Gundling. P. 10. Obs. 3. §. 7. seqq.* ne ulla discedendi spes superesset: eo semper annisi sunt Pontifices, vt id genus coniugii tollerent. Clerici ceteri eo magis id promouerunt tum demum, cum iis ipsis concubinatus, quem hactenus exercebant licite, ab Alexandro II. vetitus fuerat, vid. *all. P. Simon.* Vsque dum Teutones eorum consilia obsequuti, *dicta ordinat.* eundem prohibuerunt. Odium in concubinatum vel ex ipsa poena, quam *Concilium Trident. Sess. 24. C. 8. Sess. 25. de Reform. C. 14.* concubinariis statuit, apparet. Neque vero ista ordinatio tam potens fuit, vt istud malum eliminare penitus potuerit; quin potius eandem secuta fuerit alia de *Anno 1548.* eodem modo concepta; vid. *tit. 25. §. 2.* quae sanctio demum repetita in *Ordin. Polit. de anno 1577. tit. 26.* qua Magistratus quicumque in concubinarios animaduertere iubetur, atque adigere eosdem, vt benedictione sacerdotali copulentur. §. XXXV.

Neque eius criminis fit mentio in Constitutione Criminali Caroli V. cuius rei ratio haec esse videtur: In Germania criminum alia erat differentia, ac apud Romanos; multa namque hi publico iudicio vindicabant: quae vero Germani priuata satisfactione expiabant; exemplum fit homicidium; vid. *Kress. Iurispr. priu. p. 735.* Vnde maxima poenarum diuersitas irrepto in Germaniam Iure Romano orta est, atque ad perniciem reipublicae maxima confusio, cum iudices pro lubitu mox poenam ex iure Romano, mox ex germanico decernerent; v. *Ord. crim. proem.* Quod vt prohiberetur, & certa poenarum norma fit in posterum; determinauit Imperator easdem in causis capitalibus, quae hominum caput, salutem, formam ac fortunas concernunt; v. *d. Ord. pr. §. 6.*

Quamuis igitur stuprum lege romana poenam non sequebatur, quae famam fortunasque concernit; erat tamen crimen publicum; Iure autem germanico atque pontificio extra poenam haecenus positum erat; *v. pr.* Hinc existimasse Carolum V. probabile est, cum, ut stuprum sequeretur matrimonium, iusserit Pontifex; id vero ad cognitionem Iudicis Ecclesiastici pertineat, de eo haut praecipere debere. Neque poena in re nitentem statuta obest; praesertim cum eo tendat, ut sacramentum matrimonii, quod copula carnali, ex qua praesumptio consensus coniugalis oritur, consummatum erat, iuste ac rite celebretur, & a contemptu, in quo eius lascivia positum erat, vindicetur. Quo, credo, apparet, cur Imperator poenam stupri ad se non pertinere putarit, & ideo in *d. Const.* omiserit; propterea quod cum matrimonio proxime connexum & poena magis ad ineundum coniugium, quam alio directa est. §. XXXVI.

Vnde iterum facile diiudicari poterit quaestio, ad quamnam Iurisdictionis speciem relatum fuerit stuprum; Vtrum ad Censuram ecclesiasticam, an ad inferiorem siue Vogteicam? Certe nunquam vlla olim fuisse coercitum poena, ex ante dictis apparet. Iure demum Pontificio constitutum est; *v. c. 2. X. de adult.* ut, qui recusat vitiatam ducere, monasterio includatur; vid. praec. Qui autem constitutioni *c. 1. X. eod.* obediens fuerit, a poena immunis erit. Quamobrem cum id genus poenae a Protestantibus reiectum fuit; opinio tamen remansit ad matrimonium quodammodo esse adstringendum stupratorem, ut ex mala fama, in qua ab ipso collocata, in meliore iterum poneretur vitiata; ita loquuntur Ordd. hodiernae; in eius locum substituta fuit poena carceris vel relegationis, vel multae pecuniariae. Quae etiam locum non habet, nisi in casu deficientis matrimonii, vid. *Berlich all.* atque eo maxime pertinere videtur, ut ea inuiterur corruptor ad coniugium cum vitiata ineundum, ne superesset scandalum, Cum itaque omne id, quod matrimonii causa comparatum, atque cum eo connexum est; & ad iudicem ecclesiasticum pertineat;

neat; ut notum est: dubium esse non potest, quin & stuprum ad censuram ecclesiasticam referendum sit. Accedit, quod in primis quoque ad censuram ecclesiasticam delicta, quae in matrimonii contemptum, quo & fornicatio pertinet, cedunt, relata fuerint. Vnde colligitur, cum stuprum, quod plerumque sequitur matrimonium, saltem debet, eoque casu extra poenam esse: recte ad censuram ecclesiasticam referri. Quod si detrectet matrimonium stuprator, poena dicta magis est medium cogendi, quam puniendi: unde regula: non prius dictandam esse poenam stupri, quam passus matrimonialis finitus sit, ut affirmat *Wernher Select. Obs. for. P. 1. Obs. 48. P. 8. Obs. 289.*

## §. XXXVII.

A vero autem alieni sunt, qui eam ob causam ad superiorem iurisdictionem reiciunt delictum illud, quod inter publica iudicia numeretur. Equidem Iure Romano ex lege quadam publicorum iudiciorum descendebat, certamque poenam habebat propositam; ideo & crimen erat publicum; *L. 1. π. de publ. iud. v. Heinecc. Syntagm. Antiq. L. 4. Tit. 18. §. 1. 2.* Verum id in Germania non obtinet. Nam ad delicta publica retulerunt Germani, quae tamen lege publicorum iudiciorum haud fuerunt notata; e. gr. furtum; *Heinecc. w de delict.* Delictum autem publicum est, quod reipublicae luendum nec solum ei, qui iniuriam patitur; quare omnia fere crimina publica sunt; propterea quod quaelibet punit respublica: quod eam ob causam minus recte ad iurisdictionem superiorem refertur. Id autem non omittendum est, quod *Thomasius ad Huber. praelect. Inst. de publ. iudic.* monet, magnis adhuc tenebris obuolutam esse distinctionem criminum secundum consuetudines Germanorum. Quamobrem ita censeo, nunquam introducto iure Pontificio, vel ad superiorem uel ad inferiorem, iurisdictionem relatum fuisse stuprum; ita & hodiernum Pontificii censuræ ecclesiasticæ relinquunt, v. *Fabri Staats Canzl. p. 53. c. 13. p. 381. seq.* sed cum a Protestantibus poena stupri murata fuerit, & simpliciter eidem subiectum, ad iudicem secularem, ac proinde ad superiorem iurisdictionem retulerunt, quemadmodum etiam in Franconia ad Centenam refertur, conf. *Fabri Staats Canzl. all. loc.* Verum maximas alit lites haec materia; aliis quoque ad inferiorem siue Vogteicam iurisdictionem reiciuntibus, ut *Vittenbergenses*, vid. *Augustini Leyseri dissert. de poena stupri arbitrio iud. relinq. §. 21. p. 23.*

§ XXXVIII. Stuprum non simpliciter, sed in casum recusati matrimonii poena saeculari cohiberi, in *Hassia nostra* saltem ex *ord. Eccl. Hassiae*

*sub tit.* von heimlichen verloebnißen, und fleischlichen Vermischungen p. 367. apparet: ita namque dispositum est: So sollen unsere Ehe-Richter den beklagten mit Fleiß vermahnen, daß er die geschändete Person zur Ehe behalte, und aus unehren wieder zu Ehren bringe, doch soll in diesen und andern Fällen, da fleischliche Vermischungen zuvor dem Kirchen-Gang beschehen seyn, der Braut nicht in dem Kranz zur Kirchen zu gehen, auch kein Schenckhochzeit zu machen verstattet; sondern beyde Personen anders nicht, dann mit vorgehender öffentlichen Poenitens eingeseget werden. Vnde innotescit, a poena liberari stupratorem, si vitiatam ducat. Poenitentiam vero subire tenetur, vt & vitiatam, qua ecclesiae laesae satisfacit. Contra vero, si renuat corruptam sibi matrimonio sociare, poenam carceris & multae pecuniariae non solum sustinere, sed & stupratae sic dictam dotem soluere tenetur: vid. d. Ord. ecclesiast. p. 368. Da aber in obberührtem Fall bey den beklagten Theil = = nicht zu erhalten ist, daß er die geschwächte Person ehelichen wolle; So soll dasselbige Gott dem HERRN als dem Gerechten Richter und Herzens Ründiger, dem nichts verborgen ist, befohlen. Gleichwohl aber, von wegen geübter Unzucht, mit dem Thurn und darzu einer gebührliehen Geldbusß, nach Gelegenheit der Überführung, gestrafft, auch sonst den geschwächten Person zur Bezahlung gebühlicher Aufssteuer = = angehalten werden; A poena tamen carceris libera est femina, quae ad matrimonium ineundum parata plerumque, ecclesiae vero satisfacit. Eodem fere modo disponitur in Ord. Ecclesiast. Brunsvicensi de Anno 1569. tit. von Eheverpflichtung derer Personen, so nicht unter der Eltern oder Vormünder Gewalt seyn; p. 251. seqq. Eos nempe, qui stupro se contaminarunt, neque tamen id matrimonio inito purgare possunt, ob impedimentum quoddam; masculus poenam carceris in pane & aqua, per 4. septimanas; femina autem tantum per 14. dies sustinere debet: sed mitius punitur stuprum in his qui matrimonio copulantur. Scilicet vir 8 dierum, femina 4 dierum carcere afficitur; adhaec autem nec sollempnes nuptias cum coniuis habere licet, nec ornamento virginittatis accincta femina. Quando vero sola stupri quaestio vertitur; feminae satisfaciendo & 14. dierum custodia liberatur; illa autem 8 dier. carcere. Hinc, credo, apertum fit, & hic honori matrimoniali aliquid tribui, & consecuto eo, licet non omnis poena cesset, mitiorem tamen locum habere: cum qua conuenire videtur die erneuerte Kirchen = Ordnung Anthon Vlrichs, Herzogs zu Braunschweig. p. 106.

n p.  
ich  
ohn  
ll in  
Rir-  
n zu  
pde  
in  
in-  
si ac-  
ore,  
u-  
3.  
x  
els  
am-  
nen  
h  
m  
er-  
om  
do  
Ber-  
rider  
ne-  
um  
nas;  
sta-  
nina  
con-  
nn-  
die  
er-  
li-  
qua  
chs,

